




BARBARI
COMMENT.
IN
PORPHIRIUO
ALDINI
I
5
50











BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
ALDINI
I
5
50
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874


Giov Nencini

1862



EXQVISITAE IN PORPHIRIVM COMMENTATIONES DANIELIS BARBARI P. V. ARTIVM DOCTORIS.

OTIVM QVAERAS, VT OTIVM VITES.



Has Commentationes ne quis intra decennium imprimat aut uendat, cauetur priuilegio Senatus Veneti, & Pauli III. Pontificis Max.

VENETIIS. M. D. XLII.



MOTV proprio etc. Cum sicut dilectus filius Paulus Manutius Aldi filius Vene-
tus nobis exponi fecit ad cõmunem rei literariæ omniumq; studiosorũ utilitatem
libros idearum Hermogenis per dilectum filium Danielem Barbarum patritium
Venetum traductum, & speculationum supra Porphyrium per eundem au-
ctorem nuper compositum, necnon Rhetoricæ Aristotelis quondam per Hermo-
laum eius Barbarum traductæ, & per ipsum Danielem commento donatæ, &
etiam Logicæ eiusdem Aristotelis per eundem Hermolaum similiter in latinum
uersæ, atque commentatæ, hactenus non impressos, proprijs suis sumptibus im-
primi facere intendat, dubitetq; ut opera huiusmodi ab alijs postmodum absque
eius licentia imprimantur in grauissimum eius præiudicium iacturamq; non mo
dicam; Nos igitur ipsius Pauli indemnitati in præmissis consulere uolentes, ei-
dem Paulo ne opera prædicta, per eum ut promittunt imprimenda, per decem
annos post illorum impressionem à quoquam absque dicti Pauli licentia imprimi,
aut uendi, aut uenalia teneri possint, Apostolica auctoritate concedimus, & in-
dulgemus inhibentes omnibus, & singulis utriusque sexus personis tam in Ita-
lia, quàm extra eam ubicunque locorum existentibus, præsertim bibliopolis, &
librorum impressoribus, alijsq;, uniuscuiusque qualitates &c. sub excommunic.
latæ sententiæ. In terris uero Sanctæ Rom. Ecclesiæ mediate, uel immediate sub-
iectis etiam ducentorum ducatorum auri, & insuper amissionis librorum pœ-
nis, quotiens contrauentum fuerit, ipso facto, & absque aliqua declaratione
incurrendis, ne infra decennium præd. ab eorundem operum impressione com-
putandum, opera prædicta per ipsum Paulum imprimenda, uel eorum aliqua
sine expressa eiusdem Pauli licentia decennio huiusmodi duratura, imprimi,
uendere, seu uenalia habere, uel proponere audeant, siue præsumant. Ac man
damus uniuersis & singulis uenerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, &
Episcopis, eorumq; uicarijs, & spiritualibus generalibus, & officialibus, nec
non in statu temporali ipsius Rom. Ecclesiæ etiam legatis, & uice legatis sedis
Apostolicæ, & ipsius status gubernatoribus, ut quotiens pro eiusdem Pauli
parte fuerint requisiti, uel eorum aliquis fuerit requisitus, eidem Paulo ef-
ficacis defensionis præsidio assistentes, præmissa ad omnem ipsius Pauli, uel ab
ipso deputati requisitionem contra inobedientes, & rebelles per censuras ecclesia-
sticas eius sæpius aggrauando & per alia iuris remedia dicta auctoritate exe-
quantur inuocato eius si opus fuerit ad hoc auxilio brachij secularis, non ob-
stante constitutione, & ordinatione Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscun-
que. & insuper quia difficile admodum foret præsentem motum proprium
ad singula quæque deferri loca, Volumus & eadem auctoritate decernimus

ipsius transumptis uel eius exemplis etiam in ipsis operibus impressis, plenam & eandem prorsus fidem ubique tam in iudicio, quàm extra haberi, quæ præsente originali haberetur, utq; præsentis motu proprij sola signatura sufficiat, & ubiq; fidem faciat in iudicio & extra. Rubrica nostra in contrarium edita non obstante.

P. Motu proprio. A.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO S.R.E. PRESBITERO, CARDINALI RAVENNAE, BENEDICTO ACCOLTO DANIEL BARBARVS S. D.

OMNIBVS id insitum est animalibus, ut non modo suos quæq; habeant appetitus, sed singulis impressa est & insignita discernendi quædam iudicandiq; ratio, quam sensum appellant. Cæterum quanquam nullum animal sensu caret, usu tamen uenit, ut alia illud ipsum, quod semel sensere, custodiant, alia uero non custodiant: quæ res maximum efficit iudiciorum discrimen: nam quæ semel percepta non reponunt, nihil sanè absq; sensu cognoscunt, & iudicant: quæ uero trāslatas rerum imagines diutius retinent, nobiliori quadam cognitione, & acriori æstimatione præcellunt: nam rerum simulacra, quæ à sensibus accepere, in memoriæ thesauro collocant, collocata custodiunt, custoditaq;, cum opus est, promunt. Si uero iis adsit connexio quædam, & similium rerum collatio, præstantissimum, ac excellentissimum notitiæ genus efficitur, cuius particeps præter ho-

minem aliud nullum animal esse cernimus. nam ex eius sensu, frequens exorta & agitata memoria, experientiam gignit, ex qua tandem uelox animus uniuersale proloquium sensu, & memoria confirmatum, molitur, & parat. quod in mente iam quiescente, nulliq; contradicentiæ obnoxia reponitur, & artis, uel notitiæ cuiusdam caput, & initium euadit. Quo fit, ut quemadmodum firma, & constanti ratione persuasum est sapientibus, nihil esse in tam præclara rerum uniuersitate, qua omnia continentur, quod ad sui notitiam humanos non excitet animos, seq; percipi non sinat, ita eorundem auctoritate, & experimento etiam compertum, & comprobatum est, mentem, cui regnum totius animi natura tribuit, ui quadam propè diuina cognitione, & scientia mirabiliter delectari, qua tandem fieri uoti compos studio, & diligentia possit. Cæterum cum natura ita sit comparatum, ut res una melior, & præstantior altera sit, certè non uerebor affirmare sciẽtias quoq; huiusmodi esse ut ordine quodam inuicem collocentur, & digniores, excellentioresq; aliæ sint, contra uero inferiores, & humiliores aliæ. omnes tamen pulchræ, omnes honestæ, omnes expetendæ sunt. Vnde uere mihi hoc uideor esse dicturus, prospere, ac feliciter illis contigisse, qui siue for-

tuna quadam, siue excellenti ingenii magnitudine, siue parentum præceptis imbuti, cum primum pubescerent, quod tempus imbecillitatem consilii, deliberandi necessitatem, errandiq; occasionem maxime præbet, eum uitæ cursum ingressi sunt, quem reuocare turpissimum, retinere dignissimum iudicaretur. nam multa sunt, quæ in contrarias partes animum, tanquam dilaniatum quendã, ut ita dixerim, Hyppolitum distrahunt. Sæpe enim suauem, maxime iucundamq;, & optimam uiuendi rationem spernimus, cum ad eorum studia, quos imitamur, & instituta peruersa impellimur. sæpe etiam maiorum disciplina imbuti ad eorum nos consuetudinem cõfirmamus. & demum casu quodam sæpe ab omni bonorum genere declinamus: uel ad multitudinis mores impulsi, uel ad uoluptatum illecebras propensi. quod cum maxime molestum, ac turpe est, iis, qui sanæ sunt mentis, tum destituendæ propriæ naturæ, qua præstantius nihil est in terris, maximum est fundamentum. Ac dabis mihi profecto ueniam Præsul amplissime, si in media speculatione, ipse mihi tãquam numen amicum adsis: nam ego saltem non fortunam, non dignitatem tuam, licet summæ proxima sit, tantum suspicio, quantum præclara uitæ tuæ instituta, excellens ingenium, singularem, ac elegantem doctrinam, il-

lustrem, & conspicuam liberalitatem, fidem, re-
ligionem, ac uirtutes, alias propè diuinas, qui-
bus animum excoluisti: nam fortunam præser-
tim laudare insania, dignitatem uero præcipue
admirari infantia est. Quis ergo dubitet quin
uirtus una sit, quæ ante omnia laudem mereatur,
quæ præmio quodam proprio prosequenda sit,
honore, admiratione, gloria, & memoria homi
num sempiterna? Qua duce ipse, tanquam alter
diis amicus, Hercules, uerum beatæ uitæ iter
ingressus, turbulentissimis fortunæ fluctibus,
ceu scopulũ in media tẽpestate te obiecisti. eius
ictus repulisti, & demum constantiæ, fortitudi
nis, & uirtutis eximiæ præclara, & magna ad po
sterorum exemplum, opera perfecisti. Incendor
porrò quotidie magis dum alias sæpe ab optimis
uiris commendata, & mea summa cum uolupta-
te percepta, præsens cerno, ac benignitatis, &
gratitudinis tuæ gustum sentio suauissimum. er-
go Venetiæ nostræ, ciuitas Italiæ ab omni tumul
tu, & contentione alienissima, Benedictum Ac-
coltum in Europæ luce cognitum, & præclaris
functum muneribus, modo literarum studiis,
bonorum amicitiis, beneficentiæ officiis dedi-
tum tenent? cumq; ab honorum cupiditate, &
inani gloriæ studio maxime absit, omnia tamen,
quæ facit, honori & gloriæ illi sunt immortali?

Quare

Quare cum tanta ſit tibi & dignitas, & auctori-
tas, ſub tuo nomine emittam, quod acerrimum
Iacobi Vrtadi de Mendozza Cæſarei apud Ve-
netos Legati, uiriq; doctiſſimi, meiq; amantiſ-
ſimi iudicium, & amor in me ſummus emittere
perſuaſit. θεωρήματα ſcilicet quædam in librum
Porphyrii; in quibus quantum potui ſecretiores
ſapientum, & peripateticorum ſententias latino
ſermone diligenter explicaui, atq; ea res, ut id
facerem, uel tentarem potius, impulit, ſiue quòd
Græcorum hominum commentariis ea longe la
teq; diſperſa cognoui: ſiue quòd latinos, quam-
uis multa in hoc genere auſi ſint, inepte tamen,
ut patet, ac barbare ea tradidiſſe perſpexi. Acce
dit ad hæc, quòd ſubtilius à latinis res illa conſi
derata eſt, quàm à græcis, qui propterea non
ſunt negligendi, ſed potius diligentiſſime inſpi
ciendi, cum ab illis doctrina omnis & orta, &
aucta, maxima omnium utilitate, uideatur. Pla-
cuit autem primo loco ab initiis, & incunabulis
notitiæ noſtræ exordiri, ut cōſtaret quibus adiu
mentis natura omnium parens nos ad altiſſima-
rum rerum ſpeculationem, ad quam nati ſumus,
erexerit, & ſubleuarit. Quapropter ea quæ reli
qua ſunt proſequar, oſtendamq; clarius initia il-
la humanæ cognitionis: finem noſtrarum actio-
num, ſcientiarum neceſſitatem, præſidia, & in-

ſtrumenta, quibus ſcientias comparamus, & denique ad propoſitum, inſtitutumq́ꝫ meum reuertar. Vis ne igitur totum hunc locum de origine cognitionis noſtræ accuratius etiã explicemus, quam multi fortaſſe hoc loco poſtularent? an iis contenti eſſe, quæ à philoſophis, qui & hæc, & alia nobis tradiderunt, accipere poſſumus? ſed quid quæro, uelis ne? cum res ipſa iam moneat præmuniendam eſſe initio mentem, & præparandam quibuſdam elementis, ut melius, ac liberius ea, quæ proponuntur, aſſequi ualeat.

Primum ergo origo: deinde modus: poſt natura, tum ad extremum notitiæ noſtræ uſus explicetur.

Quicunqꝫ igitur naturam admirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt, quod fruſtra nihil, aut temere unquam efficiat: cum enim ab intelligente, & ſagaci principio dirigeretur, tum finem quẽdam rerum omnium eſſe uoluit. Quod cum à ſapiẽtibus obſeruatione quadam in aliis rebus, & experientia in ſe ipſis compertum eſſet, non ab re, animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, & memor, quem uocamus hominem, ad finem quendam ſuæ naturæ conuenientem, ſicuti cætera omnia natum eſſe dixere. Poſitum ſit igitur imprimis, quod poſt magis intelligetur, duos eſſe fines, ad quos omnis hominum actio,

mentisq; agitatio dirigatur. & alterum quidem in ueritatis notitia, alterum uero in boni electio-ne uersari. huius autem rei principem eandem naturam existere: quæ etiam mirum proposito-rum finium desiderium in nobis excitat; unde ab initio recte uidemur dixisse, omnibus id insi tum esse animalibus ut suos quæq; habeant impe tus, & rerum appetitus. Quo fit, ut nemo du-bitare habeat, insignitam esse in hominum natu ra mirabilem boni, & ueri cupiditatem, præser-tim cum tanta sit rerum omnium uarietas, tanta copia, tam insignis ornatus, ut nihil tum neces-sitatis, tum delectationis causa sit prætermissum: ecce tibi cœlum uelut eximium parentis naturæ librum, in quo tanta inest celeritas, & uolubili-tas, tanta luminum pulchritudo, ut in sui admi-rationem humanas attrahat mentes, & ad earum rerum, quæ in ipso sunt, causas inquirendas ex-citet: elementa deinde tot uicibus, ac permuta-tionibus subiecta sunt, ut cum sint prima & ma-xima uniuersi corpora, ex quibus natura omnia gignit, miras sanè alliciendorum animorum fa-cultates habent, propterea quod sine his natura hebes, ociosa, & imbecilla esset, res denique o-mnes suo fine frustrarentur, & mundus iste tam uenustus, & pulcher omni quo nūc præcellit or-natu, illico priuaretur. hæc enī à sup̄nis motibus

agitata uices annorum efficiunt, uer, æstatem, autumnum, & hyemem: hæc maximas orbis regiones distinguunt, ortum, occasum, meridiem, septentriones, cum in his partibus diuersas res operentur, animalia, plantas, margaritas, uenas metallorum, aromata, & reliqua demum, quæ suis quæq; locis horum conflatu gignũtur. Præterea quicquid dulce, & suaue, quicquid asperum & lene, quicquid colorem habet, & perspicuitatem, quicquid durum est, & molle, quicquid sapidum, & insipidum iudicatur, id ab iis quattuor ortum habet, siue perfecte commisceantur, siue imperfecte: unde etiam imbres, qui in terræ gremium decidunt, & grandines, necnon fulgura, & tonitrua, uentiq;, niues, flumina, maria, montes, insulæ, & penninsulæ ab iis profectæ initiis præclaram hanc efficiunt, uniuersitatem, in cuius medio tanquã rerum omnium spectator, celsus, & erectus constitutus est homo, ut cuncta circum se habens, omnia sensu, & cognitione percipiat. Ergo tanta erit in eo uel peruersitas, uel ignorantia, ut cum tot res illi natura suppeditarit, tam præclaram, ut ita dicam, lectionem proposuerit, tam ornatam, & copiosam supellectilem præpararit, ipse tamen tanquã Endimion totius uitæ spatium dormiendo percurret? non sudabit? non euigilabit? non accelera-

bit? ut doctus, eruditus, & bonus efficiatur? Ergo per nos ordo naturæ deficiet? quando nullus sit ordo, nisi qui ab impulsu naturæ proficiscatur: ignis ob eius instinctum calorem, & lumen diffundit: planta eadem impulsione folia emittit, ut flores tueatur, & seruet: animans quoque dum generat eadem (ut ita dicam) scientia (nihil enim est aliud instinctus, nisi sciẽtia naturalis potẽtiæ) supercilia ad oculos tuẽdos, & aures ad sonos percipiendos facit, deniq; quicquid in lucem uenit, quicquid in terræ uisceribus abditur, hac quasi innata persuasione eas res appetit, quibus maxime indiget, & siqua sunt (sunt.n.plura) rerũ instrumenta, quibus opus quæq; suum perficit, ea omnia naturæ impulsum, & quasi afflatum sequuntur. cum nihil igitur aliud sit, quod huic insitæ facultati repugnet, ergo solus homo repugnabit? Bruta cum hac ui industriam, operamq; connectunt: homo cum eadem prudentiam, & modum non cõnectet? At inquies, detur iam tibi naturam nil sine causa, temereq; perficere. Detur hominem ueri, & boni ratione ortum esse. Detur ad hæc eũdem miro affici desiderio: quid tandem? Quæ facultas, quæ uis id præstare poterit, frustra enim proponitur, quod nulla facultate consequi ualemus. Quare ostendenda est uis, qua propositum finem attingamus, ut ad eam

naturæ inclinationem, quæ in omnibus dispersa est, appetitio quædam accedat, quæ sit perficiendi operis delectatio, nam quicquid aliquid efficere potest, appetitum habet efficiendi, ne otiosum & iners habeatur. & quoniã magis est esse, & agere, quàm esse tantum, ideo fit, ut actio maxime expetatur, & desideretur. hinc est quod planta appetit uegetari, sensus sentire, mens intelligere; quapropter, ut propinquiora quoq; nostræ cognitionis initia uideamus (nam de remotioribus satis est dictum) ostendam quibus facultatibus naturæ benignitas hominẽ præmunierit, ut siquid obliquum, & contortum ab eo fiat, non naturam, sed ipsum deliquisse, & sibi ipsi defuisse iudicemus. Quattuor igitur natura effecit, ex quorum mutua, solidaq; comparatione omnis apprehensio gigneretur: primum est animæ uis, quæ græce δυύαμις appellatur. Alterum est ipsa (ut ita dicam) machina, quæ ministra, & quasi ancilla facultatis, ad eius sese nutus effingit, & format. Tertium est res huic facultati obiecta, in qua illa conquiescit, & oblectatur. Vltimum est actio, quæ ex omnibus ante dictis efficitur. Vis igitur obiectam rem intuetur, & respicit, seque ipsam propterea mouet, quoniam quàm maxime appetit moliri aliquid, quod ad se spectet, ut finem suum consequatur: Res au-

tem obiecta est quasi materies, & occasio eius imaginis, quã quis ab ea sumit, ut inferius osten detur: cæterum hoc loco illud constare debet nullam rem obiectam in natura inueniri, quæ subterfugere uim queat, uel ab eius munere sese tueri, tum quia in ipsa, ut dicebam, uoluptas est quædã & appetitio naturalis ut percipiatur, tum quia expedita uis in eam suapte natura potest. Dixi expeditã uim, propterea quod tum instrumenta requiruntur, apta, & idonea, tum alia quædam, de quibus agendum est postea, color igitur non potest non uideri, & uisus non potest non uidere, modo expeditus sit, & alias habeat conditiones, quæ in eius opere requiruntur. primum igitur opus est machinis, siquid præstare uis ipsa uelit: hoc in homine maxime apparet. nam quemadmodum cum res obiecta maior est, uis quoq; maior est adhibenda, ita etiam quo nobilior est uis, eo plura exigit instrumenta, cum nobilitas eius in eo sita sit, ut plures obeat functiones, quando igitur homo sit nobilissimus omnium, quæ à natura fiunt, necesse est, ut ad plures actiones sit destinatus, quas ut perficiat, pluribus indiget instrumentis. quare in eo plures sunt partes, quæ sensibus rerum interpretibus & nunciis deseruiunt. sensus uero in capite tanquam in arce sunt collocati. Nam oculi uelut

ſpeculatores altiſſimum locum tenent, ut pul-
cherrimarum, & reconditarum rerum notitias
plures nobis afferant. os uero, & aures, ad ani-
mum in corpore perforantur, os quidem ut à pul
monibus arteria illa quæ τραχεῖα dicitur, ad ip-
ſum pertineat, per quam uox principium à men
te ducens, percipiatur, & effundatur. Deinde ut
in ipſo lingua collocetur, ut & guſtaret, & fini-
ta dentibus uocem immoderate profuſam, hian-
temq; terminaret, & ſonos uocis diſtinctos, &
preſſos efficeret, cum ad dentes, labia, & alias
oris partes pelleretur, & ſic per os uoces ad alios
peruenirent, quæ mirabili ſuauitate, ac tenore no
ſtra ex uoluntate cõformatæ illuſtri quadã men
tis explicatione quæ cogitamus euoluunt, obſcu
ramq; intelligentiam excutiunt. Aures autem
extra eminentes, & flexuoſum iter habentes, ne
adiectæ uoces laberentur, atq; errarent, priuſ-
quam ſenſus ab iis pulſus eſſet, additæ ſunt, un-
de intelligentia noſtra ad alios quoq; pertineat.
Nam quod in aure percipientis rei perceptæ ſi-
gnum habetur, id in ore dicentis intelligentiæ
nota eſt. Ne aũt minus cõſultum poſteritati eſſe
uideretur, literæ eius cauſa repertæ ſunt, quæ ſub-
ſidio obliuioni eſſent, ut illa quæ à ſummis uiris
dicta, & p̃cepta ſunt in quodã q̃ſi theſauro cuſto-
diretur: abſentesq; de iis quæ agimus certos red-
derent,

derent, unde illud sæpe usurpamus, per literas colloqui, & similia. Notæ autem literarum aliæ aliis habentur. quare quemadmodum uocabulis non eisdem utuntur Græci, Latiniq;, ita non eadem literatura. illud tamen natura comparatum est apud omnes, ut eædem sint & res, & earum notiones: ex uoluntate autem, & multorum consensu rerum uocabula, & literatura constituatur. cæterum illuc me refero, quod per uocem occulta, & recondita exprimimus, dubitantes, interrogantes, docentes, disceptantes, quærentes, & soluentes: cum nihil sit cum ratione coniunctius ipsa oratione, cuius usus maxime est necessarius. Nam si mens humana corporeis uinculis omnino esset soluta, quemadmodum diuinæ illæ mentes, quas Græci νοῦς intelligentias Latini uocant, satis expedita ratio esset, quod sermonis usus nobis requirendus minime foret, frustraq; orationis communio ad animi sensa explicanda expeteretur: nam quicquid intelligentia conciperemus, id quodam quasi mentis intuitu ultro, citroq;, ut colores oculis, cerneremus: nec, præterea rerum notitiam sensibus acceptam referendam esse iudicaremus: sed quia intelligentia in anima, anima in corpore inclusa est, necesse habet, cum in amplissimo rerum theatro cognitionis auentes, & cupidi constituti simus,

quando res ipsas in mediũ semper adducere non ualeamus, ut natura his uiribus muniamur, qui-bus desiderio huic incredibili ab eadem natura nobis iniecto satisfacere possimus. hinc sciẽtiæ, artes, congressus, societates, & commercia or-tum habent. hinc odium, & amorem sibi com-parant homines. hinc defendimus, & accusamus, suademus, ac dissuademus, hinc Deum lauda-mus, præclarosq; hymnos in præclara illustrium uirorum facinora teximus. Quæ omnia, ne teme-re, aut frustra nati esse uideamur, ipsa omnium mater ac parens mira prouidentia, & opera moli-ta est. addiditq; alias sensuum machinas, ut o-mnia rerum discrimina perciperentur, atq; ad iu dicium internarum uirium mitterentur. Nares igitur, eo quod omnis odor ad superiora tendit, sursum positæ sunt. tactus autem communissi-mus omnium sensus per totum corpus diffusus est, extremis tamen digitis utentibus in primis attributus. suisq; affinis gustatio palato absolui-tur. unde nulla qualitas rerum est, quæ huiusmo di uires effugiat. sed hæc satis de instrumentis animæ dicta sint, cum iam constet instrumentum quodlibet esse ex corporis & animæ particula cõpactũ, ita ut quemadmodũ uniuersum corpus est animatum, ita & pars quæq; uim teneat ani-mæ, & corporis parte colligatam. quæ pedise-

qua & miniſtra ſit animæ imperio, unde anima quaſi traduce membro quicquid appetit indipiſcatur. habitis igitur animæ inſtrumentis, reliquum eſt, ut de eiuſdem uiribus pertractemus: nam quemadmodum fruſtra eſſet malleus ſine fabro, ita & fruſtra eſſet inſtrumẽtum ſine eo, qui illo uteretur. ſed nos hoc loco præfari illud uolumus, quod in hac re peripateticos ſequimur, tanquam principes, qui cum nihil ſine cauſa pluſquam ſatis eſt, adhibeant, non tot animæ uires eſſe dixere, quot Arabes, & Latini, & alii multi, ſed paucioribus contenti, nihilominus tot animæ actiones, quot alii, poſuere.

Quæ, & quot ſint partes animæ.

Anima igitur una eſt, ſed in partes diuiſa plures. Partes intelligo facultates, & uires, quibus anima functiones operatur idoneas. non enim icirco animam effici magnitudinem putandum eſt, quia partes habet. nam nec num erus ex pluribus partibus conſtans, nec aliæ res multæ ſunt magnitudines, quanquam in partes diſtribuantur: ſed eo pacto animam plures habere partes, ac uirtutes dicimus, quo ſi quis pomum diuidat in pulchritudinem, & odoris ſuauitatem, aut in figuram, & ſaporem, ut etiam peripateti

eorum innitamur exemplis. Tres igitur sunt animæ uires maxime principes, quibus inest di-
scernendi quædam, iudicandiq; uirtus, sensus, imaginatio, & mẽs: nam de altrice nullus hic ser
mo est, quia nullam perpẽdendi, ac æstimandi ra
tionem uis illa obtinet. sensum uoco eam uim, per quam uiuentia, præter quàm quod uiuunt, animalia esse dicuntur. Est autem sensus pote-
stas, uel pars animæ, per quam id, quod ipsam possidet, suscipiendis sensibilibus simile fit, & quadam permotione intercedente, actioneq; ad-
hibita, eadem sensibilia tum iudicat, tum discer
nit: ut accuratius, cum de perceptionis modo agemus, ostendetur. hæc autem uis per uisum colores percipit, per auditum sonos, per gusta-
tum sapores, per olfactum odores, & per tactio-
nem deniq; omnes sensibiles qualitates. quæ o-
mnia ad quendam ueluti centrum interiorem deducũtur ad sensum communem, penes quem est horum omnium iudicium & discrimen. φαν-
τασία uero quæ est uis imaginatrix, & spectro-
rum domicilium, est facultas animæ interior, quæ etiam iudicandi potestate prædita est: hæc quemadmodum ignis ad suam trahit naturam, quod calefacit, & aqua quod refrigerat, ita ipsa rem attrahit imaginatam, & quemadmodum spe-
culum est instrumentum imaginum, similitudi-

numq́; præsentium, ita hæc uis speculum est similitudinum absentium & ab externis uiribus susceptarum. oculi enim percipiunt colorem, & certam obiectarum rerum figuram: sed postquam iidem res obiectas dimittunt, continuo adest imaginatio, quæ retinet earum rerum similitudines, easq́; conseruat. in hac ueritas esse potest, & mendacium, ut ostendetur. hæc est cōmune, ac princeps artificiorum instrumentum: ex hac mechanicæ artes deriuantur. & quemadmodum insitæ arbores in sui naturam eas, in quibus insitæ sunt, uertere solent, ita hæc uirtus ad sui similitudinem trahit similitudines uirium illarum, quæ sub ipsa collocantur. Distincta uero est à sensibus: ut patet tũ ex iis, quæ dicta sunt, tum etiam ex iis, quæ dicentur. nam & dormientibus nobis, atq; oscitantibus operatur, & multo plus rerum absentia, quàm præsentia potest. immo illud totum sibi uendicat sensus, hoc uero imaginatio, quæ etiam suæ spontis est, cum integrũ sit nobis, cum uolumus, imaginari, sed sentire non item. Atq; hæc de imaginandi uirtute sufficiant. Mentem autem intelligo supremam animæ partem, quàm græci νοῦν uocant. hæc si quicquam est aliud, iudicii functionem maxime adepta est, unde inter cætera animalia homo eã præcipuam possidés, omnium præstantissimum,

ac perfectissimum animal iudicatur. Possidet autem ab initio illam homo, eamq; habet cum generatur, & in lucem editur, & sicuti sensus est uis sentiendi, imaginatio imaginandi, ita mens est uirtus animæ meditandi, habet autem illam homo tanquam materiam, & stratum eius intelligentiæ, quæ doctrinæ, morumq; suffragiis in eo gignitur, quoniam nuda est penitus, ac tãquam paries dealbata, naturalis tamen & insita, & ingenita, ut sensus, & imaginatio, & in his animalibus, quæ neq; orbata sunt, neq; mutila, ut peripateticorum uerbis utamur, discrimen habet, quo alios solertiores, & magis industrios, alios uero obtusiores, rudioresq; conspicimus. qua uniuersum genus hominum particeps esse conceditur. Cæterum illud in his omnibus obseruandum est, quod ex his facultatibus, quædam sunt disparatæ, disiunctæq;, ut sensus ipsi particulares, quorum obiectæ res, instrumenta, actionesq; distinguũtur: quædam uero subordinatæ, ac subiunctæ, ut sensus, imaginatio, & mens, sed ex iis nõnullæ eiusdem rationis, & impares iudicantur, nõnullæ uero diuersæ rationis, & pares. eiusdem rationis sunt sensus, imaginatio, & mẽs, quippe quoniam omnes iudicant & discernunt, sed impares sunt, quoniam sensus, & imaginatio inferiores habentur, mens uero superior est, &

excellentior: nam nihil eã fugit ex his quæ sen-
sus, & imaginatio ante percepere. & plura etiam
maioraq; cognoscit, & nobiliori modo, quàm il
la: sed diuersæ rationis, & pares habentur mens,
& uoluntas: nam nulla est uis, quæ iudicium ali
cuius rei, & sententiam ferat. cui nõ sit appeten
di quoq; uis quædam annexa, qua uel fugiat, uel
sequatur id de quo iudiciũ allatum est. uisus co
lores iudicat, & appetit. auditus sonos distin-
guit, eosdemq; optat. simili quoq; modo reliquæ
uires sibi res obiectas æstimant, & in easdem fe-
runtur. quare cum mens nostra sententiam det,
continuo sequitur, ut uis quædam adsit, quæ ap-
petat, uel fugiat, quod iudicatum est, sed uis il-
la uoluntas est, quæ ideo diuersam habet ratio-
nem, quoniam non discernit, sed appetit, uerum
æqualis, & par iudicatur, quoniam res eadem il
li obiicitur, quæ menti obiecta est, atq; eadem
species, per quã utraq; munus suum educit. quod
si utraq; uis organo indigeret, idem sanè utriq;
deseruiret, quod in sensibus est manifestum. sed
inter appetentes uirtutes uoluntas sola est libe-
ra, reliquæ uero naturali quadam impulsione fe-
runtur: nullus tamen appetitus iudicium antece
dit, nihilq; nisi perspectum, & cognitum sequi-
mur, aut declinamus. tanta uero est conspiratio,
tantaq; harum uirtutum connexio, ut mens ipsa,

quæ regina, ac domina est, inferiorum egeat auxilio. quæ res manifesta reddetur, cum de modo perceptionis nostræ mentio fiet. sed iam mens excitetur, iam sensus rationem audiat, nec queratur amplius de natura sua genus humanum, nec eam nouercam appellet, quæ si nouerca esset, nullam matrem haberemus. Taceat, taceat ingrata proteruitas, quoniam auara non est, quæ nõ modo necessitati, sed etiam uoluptati prouidet nostræ: nec ignara, quæ ignorantibus nobis optime consulit. Admiremur prudentiam, amemus beneficentiam, & gratificemur gratissimis illius gratiis, cum nõ modo optimum, siquis est alius, finem proposuerit, sed eam quoq; rerũ omnium supellectilem dederit, qua cõmode illud ipsum consequi ualeremus. ac me hercle in homine auditus, & uisus ad sapientiam plurimum pertinẽt, nanq; acerrimus oculorum sensus rerũ multarum differentias, & congruẽtias ad animum perfert: auditu uero disciplina omnis perficitur, unde ibi rerum inuẽtio, hic doctrina uocum perceptione continetur. quoniam igitur habemus apta cognitionis nostræ primordia, modus quæratur qui sit facilis, & expeditus, ut liberius susceptum negotium aggrediamur. Agendum igitur est de apprehensione, tum in uniuersum, tum generatim, quid sit, quomodo fiat, & quæ cuiq; facul-

tati ſit propria. Cum ergo ad nobiliſſimam fun-
ctionem nobiliſſimum animal natum ſit, cumq;
nulla ſit actio, quæ apprehẽſionem, & iudicium
antecedat, quoniam iudicare de rebus præſtan-
tiſſimum opus eſſe omnes cenſent, cõſentaneum
eſt, ut hominis animalis excellentiſſimi opus ſit
ipſa perceptio, & æſtimatio, ita ut nihil ſit quod
eius iudiciũ fugere, uel recuſare queat. ſed quo-
niam in apprehenſione duo uidentur ineſſe, re-
ceptio ſcilicet obiectarum rerum, & earundem
iudicatio, iccirco nos in duobus rerum generi-
bus apprehẽſionem ponemus: nam ex ea parte,
qua in ea receptio eſt, eam eſſe perpeſſionem q̃-
dam dicemus: ex ea uero, quatenus iudicat, ope-
raturq;, ad actionem tanquam caput referemus:
non tamen quia uera adſit uel actio, uel perpeſ-
ſio, ſed quoniam legitimæ actionis, & perpeſ-
ſionis quãdam habet ſimilitudinem. Nã ſi quid
naturaliter & uere patitur, opus eſt ut cõtrarium
in ſe habeat quod uel immutatione, uel alteratio
ne quadam abiiciat, ut propoſitum finem conſe
quatur: finis autem eſt illius formæ receptio, cu
ius contrarium per eas motiones abiecit: ſed uis
apprehendens, non eſt huiuſmodi, ut aliquam
in ſe habeat contrarietatem, quam permutatio-
ne quadam abiiciat, ut ſenſibilium, ſi ſenſus,
uel intelligibilium, ſi mens fuerit formas, tan-

quam fines idoneos consequatur. Præterea motus, quoniam temporis causa est, cum tempore absoluitur, sed susceptio formæ puncto temporis perficitur, & momento, quare cum uirtutes animæ simplicissimæ receptioni subiiciantur, ita ut momento recipiant quicquid illis obuiam uenit, non ab re extimuimus aperte fateri apprehensionem ad ea capita referri oportere, quibus actio, & perpessio continetur, sed hæc res infra magis innotescet. Præterea in hoc cum ipso motu naturali consentit apprehensio, quoniam si quis naturam motus cōsideret, seorsum quidem, & sine ulla cōnexione, profecto dignoscet motum esse actum quendam perfectum: nam cum dicimus esse actum incohatū rei, quæ apta sit moueri, quatenus huiusmodi est, adnectimus naturæ illi aduentitiū quoddam & cōsequens. quare priusquā hoc faciamus (seuocāda enī à sensu ratio est) apprehēsio ipsa motus est, atq; hoc est, quod primum in ipsa apprehensione motui naturali simile sit. Deinceps actio sequitur, nam ubi obiectæ rei similitudo recepta fuerit, ita ut uis receptrix ab ipsa perfecta sit, quamprimum iudicium gignitur, quoniam uero iudicare, actio quædam est, ideo in hoc genere apprehensio collocari modo quodam, & poni debet, quod etiam clarius ostendetur cum de sensuum apprehensione lo-

quemur. ſed quæ nam ſit obiectæ rei ſimilitudo, & forma, & quid ipſam pariat, diligenter eſt cõſiderandum, in hoc enim poſita eſt uis omnis cõſiderationis noſtræ. Formã igitur intelligimus non eam, quæ ſit pars altera compoſitæ rei naturalis, quæ materiem rudem effingit, & format, ſed illius, uel totius potius ſimilitudo, & imago, quæ non eſt rei pars ulla, nec præbet ſenſui, uel menti, cum recipitur, ut ſint, quod ſunt, uerum notitiam parit eius rei, de qua ſumitur, & extrahitur, quapropter ſimilitudo, & ſpecies rei colorem habentis, quæ in oculo ſuſcepta eſt, non coloris modo, ſed totius rei notitiam parit. Pulchrum autem erit uidere, quo nam modo hæ formæ, ſpeciesq; gignantur, ut uirtutibus animæ deſeruiant in propriis earum muneribus, illisq; ſe obiiciẽtes, iudicandas præbeant, ſed facile, quod quæritur, abſolui poteſt, ſi duplicem modum eſſe concedemus, quo quæq; forma iudicari ſolet. Nam forma omnis aut per qualitates materiæ, in qua eſt, operatur, & agit, ut ignis per calorem, aqua per frigus: aut per ſe, ac ſimplicẽ naturam, qua prædita eſt. ſi priori modo actio formæ conſideretur, materia ſanè opus eſt, & qualitate aliqua uelut inſtrumento, qua naturaliter agat in rem cõpoſitam: & ſic nullam gignit abſtractam ſui ſimilitudinem. ſi uero per ſe agit, utpote, quæ

ſimpliciſſimæ eſt, & in propria ſibi functione ſufficit, multiplicat, ita enim dicunt, ſpeciem, ac intẽtionem ſuam, quæ eſt rei ſimilitudo: & hoc ſuapte ui præſtat, nam forma duplex habet eſſe, primum in re ſubiecta: hanc facit, quicquid naturaliter agit: nã eam ex poteſtate materiei educens, cõpactum, & ſolidum efficit opus. alterum uero in ſe ut ſimplex eſt & immixta, & hoc fit à ſimplici, & immixto agẽte, quod eſt forma ipſa, quæ uariã ſui ſimilitudinẽ ac multiplicem ſuapte natura efficere poteſt. Quod nec lumen nec aer præſtare queunt: nam lumen hoc tãtum præbet, ut afficiat medium, aer autem non tanti eſt, ut huiuſmodi intentionibus ſubiici queat, easq; diuerſas reddat, quoniam natura comparatum eſt, ut non quæ mouentur, ſed quæ mouent uarient, & immutẽt res. quare tutius, & melius dicẽdum eſt, non aerem has ſpecies uariare, ſed illud potius, quod ipſas mouet: quod eſt forma ipſamet, ut ſimplex eſt, & immixta, quæ intrinſeca eſt, & non extrinſeca, nam ſi color, & odor, & huiuſmodi alia ſenſibilia per ſeſe habentur, ut patebit, certe per proprias naturas, & uires cauſæ ſunt earum operationum, quæ ad uiſum, uel olfactum, aut ad alios ſenſus attinent. ſimilitudines igitur formæq; huiuſmodi gradus habent, nam interdum extrahuntur à ſubiecta re, ſed non ab ipſius

præsentia, neq; ab iis, quæ illam consequuntur, ut à tempore, à loco, à figura, à motu, à magnitudine, & huiusmodi, & hoc præstant extrinsecæ sentientis animæ uires, ut uisus, auditus, olfactio, gustatus, & tactio. Interdum uero à præsentia subiectæ rei seiugantur, sed nõ ab appendicibus, & consequentibus, & hoc fit per imaginationem, quæ sensibiliũ species his absentibus retinet, & conseruat. est etiam cum forma ipsa seclusa materie, ut dictum est, sed præterea cum æstimatione quadam percipitur, & licet sensibus non imprimatur, non tamen sine sensibus innotescit, ut species odii, & amoris, & discrimen unius rei ab altera: & huiusmodi, quorum occasio à sensibus orta, æstimationem quandam parit, qua fuga, uel appetitio in animalibus generatur. hæc uis imaginandi pars est. ut cum ouis lupum intuetur, quãuis eum nunq̃ antea uiderit, continuo inimicitiæ speciem quandam concipit. Est postremo cum rei similitudo nõ solum à materia, & ab eius præsentia separatur, sed etiam ab omnibus adiunctis, & cõsequentibus distracta, non ut hoc loco sita, hoc tempore præfinita, hoc modo affecta cõsideratur, at ab omnibus iis denudata, simplex, sinceraq; habetur, nullo motu, nulla figura, nulla magnitudine comprehensa, & hoc fit ab ipsa omniũ facultatum regina, men-

te inquam & intelligétia, cuius hoc est eximium munus, & perfecta possessio. Placet autem, quoniam in uniuersum de apprehensione diximus, quid sit, quomodo fiat, & quæ cuiusq; sit propria, etiam sigillatim ad singularum uirium apprehensionem accedere, ne quicquam pulcherrimæ huius rei speculationi deesse uideatur. sed quamprimum sensus nobis occurrit, de cuius munere iam pertractamus.

De sensu.

Sensus igitur, quia recipit obiectarum rerum similitudines, ideo pati, & moueri quodammodo dicitur: quoniam uero iudicat, & discernit, quadantenus etiam uis agens nominari potest. nec præterea ullum incommodum sequitur si idem agens, & patiens habeatur, unde uisio qua quis album uidet, tum ab ea ui, cui hoc munus delegatur, tum ab re ipsa uisili, & obiecta perficitur, quare huiusmodi animæ sentientis officia, recte actiones dici possunt ob duas cōditiones, quæ in omni operatione reperiuntur, quarum altera est, quod operatio semper est in motu, & functione quadam, non quidem continua, & succedenti, quoniam momento absoluitur, sed iccirco quia ad eandem causam, quæ conseruat,

id est ad rem obiectam, quæ conseruatrix est hu iusmodi operationis continenter refertur. Altera uero est qua operatio in obiectam rem ueluti in quendam terminum transit. eò enim usq; pertinet, ut in officio sit, quoniam, quid aliud est sentire, nisi sensum rem sibi obiectam pertingere? sed quoniam sensus est nullus, qui species rerum quàm primum percipiat, ideo sanè opus est organo. quod ut clarius elucescat, ordine quodam necesse est uniuersam rē pertractare. Quēadmodum igitur altrici potestati, ad hoc ut agat, alimento opus est, circa quod eius actio uersatur, ita quoq; uis sentiendi, quia circa sensibilia functionem exercet, sensibilibus rebus indiget, quarum susceptrix, & arbitra est, quo fit, ut nisi adsint sensibilia, nihil agat sensus, quadam similitudine, ac comparatione ad eos homines, qui cum scientiam rerum teneant, nihil tamen eius interuētu efficiant. pari siquidē forma illi quoq; scientes habentur, & abiuncta sensus actione, sola potentia sensus est. Sed præter res sensibiles, ad utilitatem quoq; sensus respicit, ac comparationem quandam habet, ut ostendimus, aut consequēdi aliquid, aut declinandi, quod extra sensibilia positum est. Porrò sensibile, & sensus ante functionem dissidet proculdubio inter se, sed in actione consentiunt, Nam sentire per similitu-

dinem quandam est, quæ per alterationem fit. species enim sensibilis rei, quæ sine materia in sentiente uirtute gignitur, est sensus actu. quod cũ similitudo est per alterationem, profecto ante alterationem diuersa erant, nec inter se consentiebant. Quapropter nõ sine causa usurpatum est illud, sensum quodammodo pati à simili, quodammodo etiam à dissimili, quo enim momento patitur afficitur'ue, similis est. Gignitur autem eiusmodi affectio in corpore, quod primum sentientem animam adeptum est, internunciis quibusdã organis, quæ diuersæ à rebus sensibilibus naturæ sunt, & cum ab ipsis sensibilibus patiendi facultatem habent, operam & obsequium exhibent. Quæ simulatq; afficiũtur, affectionem eandem subinde distribuunt. Est autem huiusmodi affectio cordi inhærens, & assidens, ubi ferè in uniuersum omnis animæ principatus uiget. Cæterum sensibilium uarietas est quædã, quoniam nõnulla suapte ui naturaq; percipiũtur, quædam uero casu quodam & aduentitia ratione. Deinceps quæ suapte natura percipiuntur, alia propria dicuntur, alia cõmunia. Propria sunt quæ sigillatim ad unum sensum pertinẽt. unde color suapte natura, & per se uisibilis dicitur, quia eius natura, & ratio causam uidẽdi præbet. Sunt & alia, quæ quoniam à pluribus sensibus percipiuntur: com-

munia

munia nuncupantur, quemadmodum est figura, & magnitudo, quam & uidendo, & tangendo percipimus, item motus, quies, & numerus, ab omnibus sensibus cognoscũtur. iccirco hæc, quoniam à nullo sensu duntaxat solo, nec sola intelliguntur: nullum habent instrumẽtum, quo sentiantur; hoc autem, ut pluribus paterẽt sensibus est institutum, ut distinctior particularium obiectorum cognitio haberetur: si enim solo uisu colorem, magnitudinemq; perciperemus, colorem, magnitudinemq; nulla uarietas separaret. Quoniam uero cõmunia hæc singulorum sensibilium fundamẽta sunt: nõ quod substantiæ esse queãt: sed quia ad sensus mutationẽ prima ea sunt, quæ continere particularia uideantur, ea ratione communia illa per se quidem, & primum à sensu, ut sensus est percipientur, & proprie: à sensibus uero particularibus per se quidem, sed nõ proprie, primumq; cognoscentur, quando ea cõditio particularium est obiectorum, uerum hæc cum sentiũtur, necesse est ut eodem quoq; tempore communia illa sentiantur, idem enim effectus est, quando neq; colorem sine magnitudine, nec magnitudinem rursus sine colore uidere liceat. ut autem obiectorum suorum, ita & communium priuationem sensus percipit unusquisq;: sunt & alia, quæ quoniam alieni sunt sensus obiecta; ca-

ſu quodam cognoſci ab alio ſenſu poſſunt, ut cũ uiſo quamprimum lacte dulcedinem ineſſe iudicamus, quæ ad guſtatum, non autem ad uiſum pertinet, ſed & ſubſtantiam quoq; caſu, & ueluti per ſequelam quandam ſenſu cognoſcimus, quæ omnia peregrina, atq; aliena nuncupari iure poſſunt. ea igitur quæ hoc pacto ſenſibilia dicũtur haud quanquam ſuapte principio ſenſibilia ſunt, cum quatenus huiuſmodi ſunt, nihil ab iis pati ſenſus queat. Cæterũ quod ad ſenſibilia ſpectat, circa ea, quæ cõmunia ſunt, falli, ac decipi ſenſus ſæpe cõtingit, quotiens non ita patiũtur, uelut ſe habent ſubiecta. tum enim error, & deceptio ſenſus eſt, cum circunfuſa re quapiam, ſenſui uarius patiendi modus obiicitur, neq; illi ſimile fit à quo gignitur. In propriis autẽ ſenſibilibus ſenſus potiſſime ueri ſunt, ubi ſenſibus ea ſeruantur illæſa: quibus cum ſenſibilia ſuſcipi nata ſunt: nanq; horum clara ſunt iudicia, ſi ſani ſunt, ſi ualentes, ſi remoueantur quæ obſtant: itaq; & lumen mutari ſæpe uolumus, & ſitus earum rerum quas intuemur, & interualla aut contrahimus, aut deducimus, multaq; facimus, uſq; eò, dũ aſpectus ipſe fidem faciat ſui iudicii. Quod idem fit, in uocibus, in odore, in ſapore, integros enim omnes, & incorruptos eſſe oportet. Præter hæc autem opus eſt medio, quo intercedente ad or-

ganum commoda, & apta ſenſibilium ſuſceptio præbeatur. Poſtremo nihil adſit, quod ſenſum acrius laceſcat, oportet. Ne uero longius, quam par ſit, progrediatur oratio, ſatis eſt pro tempore uidiſſe, quo nam modo apprehenſio in iis ſenſibus fiat, qui exteriores, & proprii nominantur. Reliquum eſt ut ad interiores animæ facultates accedamus, appingentes iis, quæ diximus quod eatenus exteriores ſenſus actiones ſuas quiſque proprias præbet, quatenus res adſunt, item & illud quod ueri, & falſi eſſe poſſunt, & poſtremo quod in infimo notitiæ genere collocantur. ſunt enim tanq̃ exploratores, & nuncii uirium internarum. quando rerum omnium diſcrimina, & ſimilitudines citra ſubiectam materiam excipiant, & diſcernant. Cum itaq; ſenſibilium particularium differentias nullo exteriori ſenſu cognoſcere ualeamus. Neceſſe eſt, ut eam nobis ineſſe uirtutem cõcedamus, qua ſenſibilium omnium per ſenſus internuncios receptorum iudicium habeatur: ea eſt à ſapientibus communis ſenſus appellata. is cum colores diiudicat tanquam uiſus eſt quidam; cum uero ſonos, auditus; pariterq; in reliquis: quare euenit, ut cum idẽ ſit omnibus: eodem ſenſu fieri dicamus. eſt enim ſenſus is, ut centrum in circulo: nam quemadmodum in circulo à circunductu ad centrum productæ,

atque coniugatæ lineæ complures, & multæ ſunt, uerum ſi ad terminum reſpexeris eædem habentur, quia multarum linearum terminos circuli puncto aptari uidemus, & eiuſmodi terminus unum quodãmodo, & multa eſt: nam ex ea parte quatenus multarum, & diſſidẽtium linearum finis eſt, multa: quatenus uero lineæ omnes inuicem coguntur, atq; aptantur in centro, unum dicitur. ſimili forma ſenſus communis, & unus, & plures eſſe cẽſendus eſt: nam ſi ſigillatim per ſingula inſtrumenta, effectarum ab obiectis rebus motionum ſentiendi uim in poſtremo inſtrumento eſſe conſideres (eò enim peruenit facta à ſenſibus per inſtrumenta diſpenſatio) ſenſus hic plura quædam eſſe uidebitur, cum plurium, diſtinctorumq; motuũ terminos præſeferat. at cõtra ſi eũdem hunc ſenſum uim incorpoream eſſe animaduertes, quæ & uniuerſo poſtremo ſenſorio, ut dicunt, & inſtrumento, & cuiq; illius parti annexa ſit, unus, & indiuiduus iudicari poteſt. Huius autem tria ſunt munera, quæ tamen non eodem ſibi modo cõueniũt: nam quoddam munus proprium, & legitimum eſt, uniuerſalius, & communius, atque hoc eſt apprehenſio communium illorum, quæ per ſe ſentiuntur; motus, magnitudinis, figuræ, numeri, & quietis. Alterum munus poſteriori quadam uice perficitur: nam

ubi communis sensus apprehendit sensibile proprium quatenus in cõmuni sensibili positum est, ibi altera fit apprehensio. Tertium uero eius officium est adiectum, atq; hoc est apprehẽdere particularium sensuum functiones, quatenus in eum quisq; reducitur, nam si consideres hunc sensum sua ui, suoq; præsidio munitum, certe unus est, & non plures, si uero proportione particulariũ, qui ab eo oriuntur, & emittuntur, inq; illum cum lucro reuertuntur, sanè sunt plures: idem quoq; ratione rei obiectæ uideri potest: magnitudo enim ipsa communi obiicitur sensui, hæc una est, sed quia subiicitur pluribus, ut dulci, amaro, fusco, albo, leni, aspero, & aliis qualitatibus, ideo plura est, & non unum. Quare affectio quoq; cõmunis sensus huiusmodi est, ut ex eo cuiusq; uirtutis manet origo, & in eum cum lucro omnes reuertãtur. sed cõmunia illa sensibilia instrumenta sunt, per quæ communis sensus conuenientiam, & discrimen ponit inter sensibilia priuata. Vt autem uisus uidere se minime percipit, ita neq; sensus ille cõmunis se scit percipere. Nihil enim præter mentem suam intelligit mutationem. Quare sensus quidem particulares ab obiectis exterioribus immutãtur, sensus uero cõmunis à sensibus tunc, cum sunt immutati, hanc uero sensus cõmunis immutationem, uirtus illa, qua imaginamur,

percipit. de qua statim dicemus, si discrimē cōmunis, particularisq́; sensus ponatur. Differt autē sensus cōmunis à particulari, quod particularis quidem obiecta aliena minime per sese cognoscit. Cōmunis uero per sese. item sensus particularis q̃primū rem cognoscit obiectam, præsidio nullo indigēs alieno: cōmunis uero per sensus particulares intelligit. & ideo dicitur terminus, quia proprius, particularisq́; sensus actionem prius ipse suam præfert, quàm cōmunis, atq; id, quod percipitur à proprio sensu, ad cōmunem quasi ad iudicem peruenit. Amplius eadem est omnino similitudo in sensu, & instrumento, tametsi purior in sensu, atq; à materia expeditior, quàm in instrumēto. in sensu uero cōmuni, & particulari nō eadem. immutatio siquidem particularis obiectum est cōmunis sensus, qui in corde, ubi ferè in uniuersum animæ principatus uiget. tanquam in centro positus est. Quoniam uero sensus is cōponit, & diuidit tum propria, tum cōmunia obiecta, ideo uerus, & mendax esse potest. uerus, si, ut est in re, cōponit, uel diuidit: falsus si cōtrarium facit, sed proprii sensus, quia nihil ponūt, ueri sūt. atq; hæc de sensu cōmuni dicta sint.

De imaginatrice ui.

Iam uero ad ulteriorem animæ facultatẽ accedentibus, quamprimum obuia fit imaginandi uis, quàm Græci φαντασίαν uocant. quæ ideo ponitur, quia necesse est aliquam esse uirtutem, quæ non modo retineat eas species, quas illa communis sentiẽdi uis minime retinet, sed easdem complicet, & componat: ut aureum montem, Tragelaphum, & similia fingere ualeamus. somniorum quoq; spectra ex hac uirtute proficiscuntur, quare hoc etiam discrimine à sensu separatã esse ostẽdimus: hæc uis soluta est maxime, & libera in somnis, cum ab externis sensuũ operibus à sua functione nõ abducatur. sed quoniam de ipsa nunc, deq; aliis animæ uiribus eatenus pertractamus, quatenus ad cognitionem rerũ nobis deseruiunt, ideo exactam de omnibus rationem reddere superfluum iudicamus. sed ut relinquãtur acceptiones illæ, quæ de phantasiæ uocabulo sumi solent, cum de sensu, de opinione, de scientia, de intelligentia, & similibus hoc nomen afferatur, illud profari opus est, quod nunc de illa ui mentio est, cuius in simulacrum, & spectrum (sic enim φαντάσμα uertimus) figura quædã rei sensu perceptæ formatur, & creatur in anima, quæ

quid nam sit, hoc pacto facile dignoscemus, si memoriæ cōmēdabimus ea, quæ dicta sunt, sensus ipsos ab obiectis, & sensibilibus rebus lacessitos, quamprimum species, & simulacra ab iis missa recipere, deinceps imaginatricem facultatem mouere, cuius ea uis est, eaq; natura, ut formas, & imagines rerum, quas præbent, & renunciant sensus, retineat, & conseruet; ita ut remotis iis, & absentibus, quæ sensus antea permouebant, uestigia quædam illorum, & effigies diutius hæreant, & morentur in nobis. quam ergo rationem habent, sensibilia ad sensum, eam sanè habent sensuum opera ad eam potestatem, qua imaginamur: quo fit ut sensus iam actu effectus imaginandi potestati, ut sensibile sensibus obiiciatur. ecce tibi exemplum satis aptum, & idoneum, & ad id, quod quæritur, accōmodatum. obsignantur literæ, quas ad absentes mittimus, quamprimum pagina signum recipit absq; auro, uel materia, ex qua confectum est signum, mox cæra paginæ subiecta eadem signatur imagine, quod si sub tenuissima cæra molle quippiam cedensq; poneretur, uehementiusq; pagina, & cæra imprimerentur, certe idem signum ad illud molle pertineret, ipsumq; paginæ, & cæræ uestigiis obsignaret. similis ratio, quod uolumus ostendit, signum est obiectæ rei species, quæ absq; ma

teria

teria subiecta recipitur. perinde ac pagellæ quædam sunt sensus exteriores, similitudinem cæræ sensus cõmunis habet, sed ad illud molle, tenerumq; ipsa uis imaginandi referri habet. quapropter sapienter a sapientibus, & recte dicitur, quoties sensus actu est, & incumbit in sensibile, toties quoq; in idem sensibile imaginatricem facultatem moueri: nam fieri non posset, ut absentibus, & remotis rebus ea uis tueretur, & custodiret earum uestigia, nisi cognosceret, & perciperet ea, quorum sibi cura est cõmissa. quoniam uero uisus omnium externarum uirium acerrimus, & præstantissimus est, ideo imaginatio uisi, & uisionis nomen accepit, & phantasia dicta ex argumento lucis, sine qua cerni, & uideri non potest. fieri tamen potest, ut uera, uel falsa sit imaginatio, uera est, quæ circa id uestigium, siue simulacrum agit, quod à uera, & solida re impressum est. & quæ circa id talis gignitur, quale uestigium est. Fallax uero tunc habetur, cum à re solida non est: cuiusmodi illæ sunt, quæ in somnis occurrunt, profectæ a remotis, & absentibus rebus, perinde ac si adessent. itẽ fallax ea imaginatio est, cui neq; cohæret, neq; consentit id, quod apparet. unde homines cerebrosi, & phantastici dicuntur ii, qui falsas trahunt similitudines: quare obstinati, fatui, suo hærentes consi-

lio, amentesq; euadunt, & credunt se aliis in o-
mni notitiæ genere præstare, cumq; imaginan-
tur, intelligere se putant, nec dignoscunt, quã
sit diuersa mentis, & imaginationis operatio. &
quemadmodum pueri omnes mulieres matres,
& omnes homines patres credunt, ita cerebrosi
omnem imaginationem uerã esse putant, & hac
uirtute utuntur perinde, ac qui faber non est, mal
leo uti solet. & quemadmodum uoluntas in ele-
ctione libera est, ita in assimilandis rebus libera
est imaginatio: & ut nos ab hac re absoluamus;
Duplex eius est finis, alter est notitia particula-
rium, maior quàm illa sit, quæ in sensibili ani-
ma percipitur. quoniã diximus uim superiorem
eiusdem rei compotem fieri, cuius compos infe-
rior est, & adhuc plurium, & meliori etiam mo-
do participem iudicari. huius cognitionis finis
est sententia quædam, qua dicitur, hoc esse hu-
iusmodi: nõ tamen ut aiat, aut neget quicquam
eo modo, quo ait, & negat affirmatio, & nega-
tio, ut ostendemus: alter finis est res illa, quæ
post sententiam intenditur, quemadmodum in
iis, quæ ratione utuntur, opus ipsum artis est fi-
nis. ut uero sensus omnis uis uniuersa, & ratio
in communi sensu posita est, sic omnis sentientis
uirtutis ratio, & uis in phãtasia collocatur. Cum
igitur hæc ita sint, nullus est qui nõ uideat quan

tus apparatus, quanta magnificentia, quam ua-ria, & copiosa supellex animæ regnum cõstituat, quæ ut firmius possideantur in penitissimis me-moriæ thesauris reconduntur, memoria est cu-stos cæterarum ingenii partium: hæc quodãmo do literaturæ germana est, hæc inuentis, exco-gitatisq; rebus, & uerbis cõseruatrix adhibetur, hæc præteritarum rerum præses, cõmunisq; sen-sus affectio existimatur, & quemadmodum pi-ctura rem seruat, quæ longo iam tempore præte-rita est, sic species, quæ in memoria collocatur, & reponitur, illud refert, quod iam præteriit: species autem illa præsens est, quæ si ab anima per se, ac suapte ui suscipiatur, non autem ut re-fert aliquid aliud, tunc nõ est eius memoria, sed si accipiatur, ut est alterius similitudo, sanè me-moria fit. Restat igitur ut tot gazas, totq; diui tias mens ipsa distribuat, quippe sola regina est omnium, quæ hucusq; in memoriæ penu reposi-ta sunt. sed breuiter colligamus ea, ut facilius di-gnoscatur quid iam habeamus; ac perinde aga-mus, ac tot ministris res ageretur, quot sunt uir-tutes animæ inferiores. Primum igitur oculi co lorum species omnes, tam simplices, quàm per-mixtas attulere, & quicquid coloris, aut lucis particeps esse potest: magnitudines præterea, motusq;, & multitudines, & interualla rerum o-

mnium, ſitus item, quietes, loca; & omnia quæ uiſui ſubiecta eſſe poſſunt, quibuſdam uicibus retulere. aures quoq; tributariæ uocum, ſonorum, tinnituumq; omnium extitere. unde acuta, grauis, alba, canora uox omnis, fremitus item, & murmur, ſibilusq;, & ſuſurrus, & rumor omnis ab auribus ad ſenſum deuenire ſolét. lingua ſapores omnes tam bonos, quàm malos, acres, dulces, auſteros, amabiles, amaros, & tardos. nares autem odoraméta, & unguenta omnia ſuauia, & iniucunda, tenuiſſimo aere permixta contulere: contactus autem uniuerſo corpori diffuſus latiſſimas rerum multarum differentias præbuit, cedentes, molles, aſperas, calidas, frigentes, humectas, ſiccas, duras, graues, lenes, leues, magnas, paruas, denſas, raras, & innumerabiles penè qualitatum ſpecies addidiſſe uidimus: quæ omnia tanquam ad arbitrum quendam interiorem, relata ſunt ad ſenſum cõmunem, qui diſcrimen inter ea poneret, & quæ cuiq; ſenſui tribuerentur, dignoſceret, & imaginatrici facultati ſuccurreret, quæ harum rerum omnium abſentia ſpecies cuſtodiret, magnitudine, loco, figura, tempore, modoq; præfinitas, circunſcriptas, & determinatas, confuſe tamen quodammodo, & perturbate, ut oſtendetur, cum de mentis apprehenſione tractabimus, quod iam faciemus.

De mentis apprehensione.

A gimus quidem nunc de ipsa mente, deq; eius functione, quæ intellectio, uel meditatio nuncupatur. hæc res multa, & præclara nobis omnium rerum arcana declarat, atq; adeo huius rei notitia pulchra, & honore digna est, ut ad percipiendam omnem ueritatem, maximum conferat emolumentum; sed ut æquabilis, & nota rerum memoria conseruetur, ordine quodã incedere opus est. Quare in primis ostẽdemus intellectionem, quæ mentis est munus, aliquod habere sui principium, à quo gignatur intrinsecum; idq; non esse aut uoluntatem, aut sensum, nec rem obiectam duntaxat, sed ab animæ intelligentis portione quadam, & obiecta re id fieri, eo modo, ut potior uis in anima, quàm in re obiecta esse dignoscatur. Præterea de ipsa obiecta re tractabimus, à quo fiat, quid sit, & quid efficiat, mox de illa portione animæ, cui munus hoc est demãdatum, agemus quæ sit, quid agat, quo modo agat, quot habeat functiones, & quid deniq; primum intelligat. quibus quàm breuissime explicatis ad reliqua huic speculationi subiecta, & nobis antea proposita deueniemus. Mẽs igitur uis animæ naturalis, & princeps, præcipuaq; hominis pars, no

biscum eo tempore quo nascimur ingeneratur, subiectumq; corpus tanquã materiam informat, & perficit: unde homo nascitur animal rationis, & prudentiæ capax, quo fit, ut hac naturali inclinatione, dialecticus, physicus, mathematicus, architectus, faber, gubernator, & artifex multarum, & pulchrarum rerum dici possit. quoniam igitur res quæq; perfectionem habet, qua finem suum cõsequi potest: perfectio autem multiplex est. aut. n. res perficitur ut sit, aut ut opari possit, aut ut opetur, aut deniq; ut finẽ suæ naturæ propriũ operãdo cõsequatur: ideo fit ut animæ uis, q̃ intelligentiæ particeps esse conspicitur, postquã perfecta est, tum ut sit, tum ut operari possit, quod ab ortu, & genituræ principio acquirit, statim perfici habeat, ut iuxta eam, quam possidet facultatem, operetur, & agat, & agendo finem indipiscatur propriæ naturæ conuenientem. sed antequam consequatur perfectiones eas, certe materiæ, ac subiectæ rei similitudinem, ac uicem quandam obtinere iudicatur: quoniam quicquid aliquid suscipere natum est, eius, quod suscipitur materia est, quare potentiæ mens, uel patibilis intellectus a peripateticis uocari solet, nõ quidem ratione corporis, quod effingit, & format: est enim prima eius perfectio, sed ratione illius perfectionis, quã recipit, unde hoc modo,

ueluti abrasa tabella, & dealbatus paries esse di-
citur, ut quemadmodum ipsa est perfectio cor-
poris, in quo est, ita eius perfectio est intelligen
tia, & meditatio; cuius functionis aliquod prin
cipium esse ratione illa conuincimus, quoniam
fieri non potest, ut quicquam gignatur, absq; eo,
quod gignit, non enim quippiam factum conce-
ditur, quod ab aliquo factum non sit: cum igi-
tur intellectio res quædam facta sit, absoluta, &
noua, ut sapientes tradunt, & quisq; in se expe-
ritur, eius profecto quoddam erit initium, idq;
sane intrinsecum, iccirco quia uel obiecta res, uel
ipsa uis animæ id efficiet, quorum utrunq; neces-
se est intrinsecus sumi, nam obiecta res non am-
plius est particularis, ut ea, quæ sensibus obuia
est, sed uniuersalis, & cõmunis, uniuersale au-
tem nihil est in rebus à natura compactis, quare
fit, ut in anima illud esse confiteamur. sed si prin
cipium illud esse in animæ quadam portione di-
catur, nihil eo ipso magis intrinsecum esse iudi-
care possumus: quippe pars est eius propria. sed
nunquid ea portio sensus sit, an uoluntas, quæ-
rere non oportet: quia intellectio ipsa adeo per-
fecta est, ut omni spectro, omniq; sentientis ani
mæ perfectione præstat, quare fit ut sensus adeo
excellentem functionẽ præstare minime queat,
sed nec uoluntas quidem id faciet, quia primam

ſaltem intellectionem omnem uoluntatis actio-
nem præuenire, credendũ eſt. quæ cum ita ſint,
reſtat, ut mentis quædam portio ſit, cui functio-
nis eius initium merito tribuatur. ſed cum non
modo mentis portio, ſed etiam res obiecta pro
ſe utraq; contendat, ac initium ſibi huius mune-
ris arroget, ideo tenendum eſt, nec obiectam
rem per ſe, nec particulam intelligentis animæ id
efficere poſſe, uerum alteram alterius ope indi-
gere: non enim res obiecta id præſtat, tum quia
intellectio quædam. Verbi gratia, candidi, obie
ctam rem excellit, effectus autem nullus cauſa
præſtat ſua, tum quia interdum fit, ut maior men
tis adhibitio uehementem, & perfectam magis
faciat intellectionem: quare cum res obiecta eo-
dem ſemper impellat, & excitet modo, unde ma
iorem nequit acrimoniam, & intentam magis fa
cere meditationẽ, profectò per ſe ipſam ſatis eſſe
non poteſt. ſed nec ſola mens quidem id præſta-
bit, uel quoniã actus obiectæ rei ſimilitudo eſt,
nulla autem ratio maior eſſet, cur notitia hãc po
tius, quàm illam referet obiectam rem, ſi id per ſe
ipſa mens exequi poſſet, uel quoniam certe, ac re
ipſa intellectio, & meditatio ab obiecta re pen-
dere iudicatur, cuius occaſione ad ipſam refertur,
ut menſura ad rem aptam metiri: quare cum hæc
ita ſint, rationi conſentaneum eſt ad efficiendam
ſolidam

ſolidam rei notitiam, tam obiectam rem, quàm animæ portionem intrinſecus cõuenire, atq; ita conuenire, ut anima uim maiorem conferat, res autem obiecta inferior habeatur. quemadmodũ mas ad ſobolem procreandam principem magis obtinet agendi modum, quàm femella, licet utriuſq; actio quædam propria ſit. Quæ autem ſit res obiecta, quæ'ue animæ portio habeatur eiuſmodi, ut ad intelligentiam fabricandam, conueniant, & concurrant, explicemus iam. Res menti obiecta quattuor modis cõſiderari poteſt. ꝑrimum enim ut nondum eſt apta intelligi, ut color in tenebris nondum eſt aptus uideri. deinde ut iam actu apta eſt intelligi, ut color aduentu lucis, aptus eſt uideri, tum ut nondum actu intellecta, ut coloris ſpecies in medio nondum uiſa. deinceps ut actu intellecta, ut ſpecies coloris actu iam in ſenſu recepta. quando igitur res obiecta nondum apta eſt intelligi, tunc dicitur poteſtate intelligibilis: eſt enim ualde remota, ut intelligatur, propterea quia proportio quædã eſſe debet inter eam uim, quæ cognoſcit, & eam rem quæ cognoſcitur, modo res obiecta in ſpectris, & uiſis relucens cum appendicibus, & adiacentibus materiæ circunſepta ſit, nullam habet comparationis proportionem ad mentis portionem, quæ incorporea eſt: quare merito nondum eſt

intelligibilis, sed apta fieri intelligibilis. quan-
do autem actu iam intelligi apta facta est, tum di
citur actu intelligibilis, & tum in specie intelli-
gibili posita est. species enim est obiectæ rei si-
militudo percipi modo idonea: iccirco quia iam
proportionem habet cum ea facultate, quæ ipsam
modo est receptura: sed quomodo hæc species
efficiatur, & à quo dicendum est postea. illud
pro tempore tenendum est, speciem hãc actu esse
intelligibilem, potestate autem intellectam, nam
non prius actu intelligitur, quàm in ipso intelli-
gendi opere ponatur. ponitur autem tunc cum
mens ipsam, ut est, depuratam aggreditur: de-
puratã intelligo sinceram, simplicem, omni adia
cente, & aduentitia natura liberam, & solutam, lu
cidam, illustrem, & conspicuam, & quemadmo
dum ii, qui metalla, & naturas rerum igne colli
quant, ut inde sublimiores earum uirtutes expur
gatas extrahant, ita rerum species, & simula-
cra uires animæ pura, & sincera exprimere so-
lent. expressio autem hæc abstractio dici solet,
quia res una ab altera, ita seiungitur, ut una absq;
alia intelligatur. hinc est quod interdum cando-
rem speculamur seiunctum à cygno, uel à pariete
in quo est. interdum etiam naturas ipsas simpli-
ces rerum contemplamur, singularia, & particu-
laria in quibus sunt, non contemplantes: & quan

doq; habitudines ipsas meras mente uersamus, separatas à fundamentis, & subiectis in quibus reperiuntur, & demum sæpe fit, ut quæ eadem subiecto sint, ratione tamen seiũgamus; tot enim modis abstrahimus, id est cõsideramus rem unã, alia non considerata. Atq; hæc de obiectis rebus dicta sint. De particula uero animæ, cui principiũ tributum sit, pertractare uolentibus, non erit curæ quicquid alii sentiant explicare, sed quod ueræ peripateticorum sententiæ conueniat, declarare. nihil tamen hoc loco refert, ad id, quod uolumus ostendendum, siue uno potius, q̃ alio modo dicatur: nam uia omnis eò nos ducit, quo iter direximus, id est ad cognoscendam summam humani generis perfectionem, scientiarum, & habituum necessitatem, & instrumentorum, apparatuumq; opportunitatem. concesso igitur iam proloquio illo mentem, quam patibilem uocamus, nobiscum nasci, tanquã aptam, & idoneam intelligibilium formarum materiem. item & illo, inter cognoscentem uim, & cognitam rem oportere quãdam comparationis proportionem ponere. continuo sequitur, ut uim quoq; agentem, & effectricem ponamus, ut in materia gignantur ea, quæ ab ipsa materia suscipi nata sunt, quod in rebus artificio elaboratis, deprehenditur. Ars enim in causa est, ut eius species in mate

ria producatur. quare fit ut id quoq; in mente ac-
cidat, ut quando mentem quandam ueluti mate-
riem esse cōcessimus, pari quoq; forma esse con-
cedamus mentem quādam effectricem, quæ eius
habitus, & perfectionis, quæ in mente illa ma-
teriæ uicem obtinēte producitur: causa sit, atqui
esse poterit hic intellectus, aut mens proprie, ac
præcipue, & uere intelligibilis species, & hæc
ipsa sine materia: nanq; in rebus omnibus id,
quod proprie, ac præcipue aliquid est, cæteris
causa est, ut eiusmodi sint. id enim quod maxi-
me uisibile est (cuiusmodi est lux) cæteris uisibi
libus rebus in causa est, ut uisibiles habeātur. sic
igitur fiet, ut quod maxime, & suapte natura in-
telligibile est, nō immerito uniuersæ cæterarum
rerum cognitionis causa iudicetur. Talem autem
esse primam causam peripatetici credidere, pri-
mam autem causam esse mentem, & intelligen-
tiam proculdubio tenuere: quamobrem mens, &
intelligentia hæc agens amplioris dignitatis est,
quàm ea, quæ habetur in nobis, & patibilis uoca
tur. Quoniam in rebus omnibus agens patiente,
& solutum à materia, materiæ coniuncto præstan
tius est. Deforis enim in nobis genita est mens
illa, & nulli corruptioni obnoxia, per se existēs,
cum non sit potestas animæ, quæ in nobis sit, &
separabilis, cuius ea sunt munera, ac primū qui-

dem efficere ea, quæ potestate intelligibilia sunt, actu intelligibilia, uel quod est potestate uniuersale, actu uniuersale: secundum est efficere id, quod nondum est, sed esse potest, intellectum. Prima ergo functio: iccirco necessaria est, quia res obiecta in spectris, & uisis confusa est, spectra uero, & uisa, nullam ferè, aut exiguam habent proportionis comparationem ad eam uim, quæ patibilis mens nominatur, propterea quod illa extensa, materiæ annexa, & perturbata sunt, uis autem illa inextensa, & absq; materia agens, & clara esse iudicatur. & ideo res obiecta, quæ in spectris huiusmodi relucet, non est iam idonea, & apta ut intelligatur, ita ut quamprimum excitet, & continenter moueat patibilem intelligentis animæ facultatem. quare opus est quodam intellectuali lumine, quod obiectæ rei speciem quãdam sinceram ex huiusmodi spectris eliciat, & ex ordine sensibilium rerum, ad ordinem intelligibilium transferat, atq; hæc prima mentis illius functio est, quando scilicet ex spectris in imaginandi potestate repositis intelligibilem speciem educit, quæ sanè qualitas est, & accidens quoddam solidum, cuius productio re uera est aliquid, & fit, à spectro, & agente intelligentia, tanquam à duabus causis particularibus efficientibus unã uniuersalem causam, licet agens intel-

ligentia princeps habeatur. illud uero animad-
uertendum est in hac re, quod agens intelligen-
tia potest omnia efficere, ita ut ratione cuiusli-
bet obiectæ rei possit abstrahere speciem, quæ
ipsam uel re ipsa, uel uirtute referat, atq; huius
rei ratio est, quoniam mens patibilis, nihil intel
ligit nisi per speciem, quæ re ipsa, uel uirtute re-
ferat: re quidem ipsa, ut species candoris: uir-
tute uero, cum species absolutæ rei uirtute com-
parationem, & respectum innuit. item cum spe-
ctra, & uisa à sensibilibus sumuntur, substantiæ
uero, neq; spectra efficiant, neq; uisa, profectò
substantiæ non nisi argumento, & præsumptione
intelligi poterunt. Alterum agentis intelligen-
tiæ munus est, id, quod potestate intellectũ est,
actu intellectum efficere, & hæc functio est pro-
ductio actus intelligendi, qui etiã qualitas quæ-
dam est solida, hoc est nulla collatione mentis
adhibita, & fit à specie, & agente intelligentia,
quæ sunt causæ duæ, ut aiunt, solidæ, & existen-
tes. cum hæc igitur duo sint munera intelligen-
tiæ illius, quæ agens nominatut, certe consenta
neum est, ut in patibili potestate duplex quoq;
perpessio inueniatur. cum igitur patibilis ea uis
dicitur, hoc dicitur in ordine ad intelligentiam
agentem, à qua perpetitur, & à qua recipit. cum
uero susceptrix nominatur, hanc sortitur appella-

tionem, quia speciem recipit intelligibilem, uel actum intelligendi. non enim agentem recipit intelligentiam, sed speciem, quæ prima effectricis intelligẽtiæ functione effecta est, & solidam intellectionem ab ipsa intelligibili specie, secundo agentis munere perfecta: atq; hac posteriori susceptione mẽs patibilis omnia fieri potest, hoc est omnem cuiusq; intelligibilis percipiendi, ac intelligendi actum recipere. Atq; hæc sunt comparationes quas inter se spectra, species intelligibiles, & facultates illæ animæ possident. Reliquum est ut uires animæ rationalis ostendamus, hoc est ut mentis eius, quæ patibilis nominatur munera, & partes declaremus. cum igitur inter se natura differant ea, circa quæ illius functio, & potestas intenta est, nam quædam in actione posita sunt, & in generatione uersantur, ita ut secus esse queant, aliqua uero sempiterna, & necessaria habentur, atq; ex iis alia opinione, alia scientia percipi nata sunt. profectò fiet, ut mentis quoq; alia pars habeatur, quæ opinione ducatur, unde opinatrix dicta est: alia uero quæ scientia præstet, unde sciens nominatur, utraq; tamen mentis nomine digna est. cæterum mens illa, quæ ab agendo πρακτικὴ dicta est, quæ ad opinionem, deliberationem, & cõsilium spectat, actionis principium est: ubi quod ab intellectu cogno

ſcitur, deliberatio atque appetentia comitatur. Mens uero illa, quæ in ſpeculandis rebus æter- nis conſideratur, unde ἐπιστημονικὴ uocatur, ex ſpeculabilibus rebus gignitur. Mentem igitur quam potentiæ, uel perpeſſionis appellamus, ut dictum eſt ſimul, atq; naſcimur, poſſidemus; ue rum functiones illas, quæ ad actum pertinent, & eorum habitum in diem accedente doctrina uen dicamus. innaſcitur autem prius mens illa actrix, atq; opinatrix, iccirco quia res illæ, quibus mens opinatrix, incumbit promptiores, & neceſſariæ magis habentur, deinceps uero gignitur mens il la quæ contemplatrix, & ſciens nominatur. ex his omnibus prudens animus illud excipiet non oportere ſolum naturæ bonis hominem eſſe præ- ditum, ſed propriis quoq; ornatum eſſe debere- naturamq; iniuria non afficiet, cum tam beni- gna, & liberalis in nos fuerit, ut per ipſam opti- mum finem cõſequi ualeamus, niſi nobis ipſi de- eſſe uelimus. Ex habitibus ergo quos labore, & exercitatione noſtra comparamus. quidam ad in- tellectum pertinent, quidam ad uoluntatem, ex prioribus aliquis eſt, quo promiſcue contigit aſſentire uero, uel falſo, cuiuſmodi eſt opinio, & ſuſpitio, quidam uero eſt, quo fieri non po- teſt, ut uero accedamus, & erroneus habitus, ignoratioq; uocatur male affecti animi uitium.

est uero alius habitus, quo fieri non potest, ut falso assentiamur: is in quinq; distributus est particulares habitus: nam si uersatur circa ueritatem necessariam, aut ea ueritas est principiorum, & uocatur mens, simili uocabulo cũ potestate eius, ad quam pertinet: aut est collectionum rationis, quæ conclusiones uocantur, & scientia nominatur: aut circa utrunq;, & sapientia dicitur. si autem circa ueritatem quæ contingens nominatur, aut est circa eas res, quæ non remanent, ubi cessat agẽtis operatio, unde orta est prudentia, quæ mentis habitus est, circa ea, quæ agenda sunt: aut est circa illas, quæ remanent etiam quiescente ea re, quæ egerit, hinc ars est deducta, optimus mentis habitus, circa opera, & artificia rerum, unde hominis ingenium elucet maxime, & excellit: hinc magnificas ædes, & præclaras urbes uidemus hominum solertia fabricatas: illustrem militiam, leges, & tranquillitatem tueri: salutarem medicinã humana corpora debilia subleuare, & penè defuncta ab inferis reuocare. Terræ cultum uarium, & delectabilem fruges, fructusq; ad alendos, & recreandos homines mittere: & nauigationem tantum excellere, ut omnes admirentur, quo nam modo fluctibus, & uentis hominum industria imperare ausa sit. sed uenationem quoq; à principibus, & magnis uiris ma-

xime commendatam hoc in numero collocabi-
mus, nam pugnæ persimilis est, & in ea sudori-
bus, & laboribus homines assueti, pernoctant
in niue, in montibus uri se patiuntur, nullo cur-
su, uel labore in persequendis, uel aggrediendis
belluis tãquam hostibus uinci possunt, nullo im
manis feræ terrore permouentur, animalium na-
turas dignoscunt, regiones inuestigant, canum
uenaticorum alacritatem clamore, & sonitu au-
gent, & demum artificio mirabili uitam nõ iner
tem transeunt. Sed quid in enumerandis artibus
incumbimus? quando infinitæ propemodum ar
tes iam repertæ sint, & cursu annorum in lucem
prodeant, ad salutem, usum, & laudem humani
generis sempiternam? sed satis est has maxime
principes enumerasse, ad quas ueluti fontes aliæ
omnes referuntur. Atq; habitus ipsius mentis ii
sunt, quos diximus, mens, scientia, sapientia, pru
dentia, & ars. mens autem circa principia, scien
tia circa ea, quæ à principiis profecta sunt, sapien
tia circa principia, & conclusiones, prudentia cir
ca agenda, ars deniq; circa artificia uersatur. sed
uoluntatis habitus uirtutes ipsæ iudicantur, quæ
in moribus positæ sunt, uoluntatemq; rectæ ratio
ni obedientem, efficiunt. unde ius nemini dene
gatur, uirtus colitur, modestia ueneratur, & con
siliũ maxime laudatur: quæ omnia illustrem ho-

minum uitam, laudabilem humani generis sortem, conspicuam mortaliũ conditionem faciunt. Ad quæ qui non inflammatur, qui non incenditur, qui non trahitur, omnino hominis nomen nõ meretur. Diximus iam de initiis humanæ notitiæ, de uiribus, & facultatibus animæ: de apprehensione cuiusq; facultatis, de habitibus, & ornamentis omnium potestatum. Reliquum est, ut de scientiarum necessitate, deq; apparatibus earum pertractemus: quorum alterum iam satis notum esse debet, alterum uel minima mẽtis animaduersione innotescet. Sed quoniã polliciti sumus de iis rebus agere, quæ primum, à nobis cognoscuntur, ideo ne obliuionis notam incurramus, id quàm breuissime transigemus.

De iis, quæ à nobis primum cognoscuntur.

R erum igitur quædam sunt, quæ simplicibus, & solutis uerbis exprimuntur, ut mundus, homo, bonus, & hæc simplicem quandam sui faciunt imaginationem. Quædam uero copulatis, & connexis explicantur, ut mundus ortum habuit, homo est scientiæ capax, bonus præmiũ consequetur. & hæc credulitatem quandam pariunt: quo fit ut credulitatem unicam duæ saltem simplices imaginationes præcedant; nam qui prius non ha

bebit imaginationem rei, quæ ſub hac dictione bonus, continetur, itemq; illam, quæ ſub hac dictione, remunerabitur, eſt collocata, certe nec credulitatem totius connexionis ullam obtinebit: quare cum non credet quicquam, non affirmabit: aut negabit. quod enim quis non intelligit, quomodo unquam concedet, aut non concedet? Cæterum fieri poteſt, ut tam ſimplicis, quã cõnexæ rei apprehenſio indigeant quæſtione, interdum uero nõ indigeant. cum igitur fit, ut imaginatio non indigeat quæſtione, tunc res illa omnibus nota eſt, ut ens, aliquid, res, & huiuſmodi, quæ communiter omnibus inſita ſunt. cum uero indiget, tunc rei natura, & uis ignota eſt. ut angelus, ſpiritus, anima, & huiuſcemodi alia, quorum naturæ nobis occultæ ſunt. At credulitas, quæ nullam requirit indaginem, eſt earum rerum, quæ cognitis iis, quæ ſub ſimplicem imaginationem cadũt, quamprimum creduntur, ut totum ſua parte maius eſt. tria plura ſunt, quàm duo: æquali bus ab æqualibus demptis, æqualia ſunt reliqua. hæc profata, uel proloquia, & enunciata Latine, ἀξιώματα, ἔννοιαι πρόληψις. Græce dicuntur. hæc enim omnia cognitis iis, quæ dictionibus explicantur, ſtatim ſine ulla inquiſitione ſunt manifeſta: & ita eſſe creduntur. huiuſmodi ſunt ſcientiarum principia, quorum

habitum mentem uocari antea dictum est, confi ne potestatis eius, ad quam pertinet, uocabulum: quoniam sine ullo habitu præcurrẽte acquiritur, sed sola uerborum notitia comparatur: quibus ap prehensis illico mens assentitur, huiusmodi ergo credulitas nullam quæstionem desiderat, nam in uerbis ipsis, ac dictionibus tãquam in rationibus ipsam explicantibus sita uidetur, est autem, & in lumine agentis intelligentiæ, tanquã medio, per quod apta intelligi efficitur, & in intelle ctione posita tanquam in exemplari, & imagine quadam collocata, quod si deniq; à patibili intel ligentis animæ facultate recepta sit, sanè in ue ra, & medio carente causa, unde nota efficitur, esse, dignoscetur. Atq; hæc est credulitas quæ stione carens. sed credulitas illa, quæ inquisitio nem postulat, non statim ex dictionum cogni tione efficitur, ut mundum habere ortum, malos post mortem puniendos, animam immortalem esse, & huiusmodi, quæ indagationem quandam requirunt. his ita positis, & constitutis, illud pa làm est, neq; simplicem rei imaginationem, neq; credulitatem connexæ, cum quæstionem requi runt, illam absq; definitione, hanc uero absq; ra tiocinio, haberi posse. sed antequam hoc ratio cinando, & illud definiendo cognoscamus, ne cessario utrobiq; notitia quædã præcurrat opor

tet: nã ignorantibus nobis, & quærentibus quid ſit homo, neceſſe eſt, ut ſi recte id percipere uelimus, eas res dignoſcamus, quæ ſub dictionibus iis continentur, quæ in hominis definitione ponuntur, ut quid animal, quid ratione utens, quid morti obnoxium, quid deniq; cætera ſint, quæ ad hominem definiẽdum pertinent: nam ſi hæc ignorentur, profectò magis quod quærimus nos ignorare oportet, quippe quia per id, quod non apparet, nihil patefieri poteſt. Item neſciẽtibus nobis an mundus generationis ortum habuerit, nec ne, præſciri aliqua opus eſt, quæ credulitatem habeant certam, alioquin hoc nihilomagis innoteſcet: teneamus ergo earum rerum credulitates oportet, quæ ad notitiam huius connexionis attinent, ut mundum non habere contrarium, nec ex contrariis effici poſſe, & illud etiam, quod non habet contrarium, nec effectum eſt ex contrario, id generationis ortu carere. quibus poſitis ratio uniuerſa colligetur. mundum ſcilicet generationis ortum non habere. quapropter in omni quæſtione aliquid ignotum, & aliquid notum ineſſe debet. ita tamen, ut in infinitum nõ deueniat res, nam ut diximus, tum in ſimplici uerbi apprehenſione, tum in copulatorum credulitate ſiſti intelligentiam oportere, ita ut non amplius inquiramus. Cum hæc igitur ita ſint, manifeſta ratio eſt,

& expedita, quod aliud, id quod cognoſcimus, eſt, aliud uero propter quod cognoſcimus. quemadmodum in rebus à natura ortum habentibus, aliud eſt ipſa res. Verbi gratia τὸ συνθετὸν, & aliud eſt id, propter quod res ipſa eſt. Verbi gratia λόγος, εἶδος, καὶ μορφή. unde recte à ſapientibus peripateticorum enunciatur, res ea lege ad intellectionem ſe habere, qua in natura ſunt propria; quoniam id eſt ueritas, quando quod in mente concepimus ſolidæ rei reſpõdet. Quoniã uero naturæ imitatione ars omnis perfecta eſt, natura autem non errat cum à ſapientiſſima mente dirigatur, ideo nos, qui arte, ratione, ac uia incedimus, ut ab omni errore abſcedamus, naturam imitabimur; natura igitur, ita res omnes gignendo conſtituit, ut ab imperfectioribus, tanquam pictor, & magis indifferentibus aggrediatur, mox ea paulatim conformet, & quaſi lineamentis quibuſdam effingat, donec abſolutum ꝑficiat opus. ita ab eo, quod eſt, ad id, quod ſubſiſtit, & ab eo, quod ſubſiſtit, ad corpus, & à corpore ad animam uſq; perueniat. his poſitis cum duo ſint in intelligentia noſtra, alterum quidem quod intelligendo cognoſcimus, alterum ſanè propter quod illud intelligimus, profectò in utriuſq; intellectione ab imꝑfectioribus procedamus. primum igitur quod intelligimus eſt

τὸ συνθετὸν, id eſt cōpoſitum, quod etiam πρᾶγμα dicitur, id eſt effectus naturæ, & συγκεκυμένον, id eſt confuſum, & perturbatum, hoc ultimum eſt, ex iis rebus, quæ natura gignendo perfecit, ſed primum quod ab initio gignere excogitauit. hoc igitur primo nobis obuiam uenit. ſenſibus enim ſubiectum eſt, & quāprimum nos excitat: ſed cum totum ſit quoddam, & propterea multas habeat partes, tam eiuſdem, quàm diuerſæ rationis inter ſe, tam magnitudinem, quàm naturam eius continentes, profectò in eo cognoſcendo erit ordo quidā, ac ſeries certa, ita ut aliquæ partes intelligentia prius, aliquæ uero poſterius recipientur: quæ res exemplo euidētiſſima fiet. ſi primum ponamus, omne quod aliquid continet, eius quod continet, eſſe quaſi totum quoddam: deinceps obiiciatur à lōge ſenſibus noſtris equus, tanquā totum, quamprimum totius equi confuſa quædam ſpecies obuia fit. deinde ſi proprius acceſſerit, earum partium effigies ante percipientur, quæ toti ſimiliores habebuntur. Verbi gratia. effigies capitis totius, uel cruris, uel dorſi, & eiuſmodi partes, quæ diuerſam in toto equo rationem habent, & propterea diſſimilares uocantur. hæ partes ſi ad ea, quibus conſtant, referantur, ſanè totius uim quandam habent: continent enim plura, ex quibus conſtitutæ ſunt. im

primuntur

primuntur ergo harum partium ſimilitudines in ſenſu, poſtquam totius equi confuſam, ac perturbatam ſpeciem percepimus: mox ad eas partes accedimus, quæ ſunt eiuſdem rationis cum toto, ut eſt caro, neruus, os, & huiuſmodi, quæ propterea ſimilares uocantur, & à ſuperioribus continentur, & ita diſtinguendo, à confuſis, & minus uniuerſalibus ad diſtincta, & magis uniuerſalia progredimur: donec cauſæ, principiaq; totius equi reperiantur. quod ſi recte rem perpendere uelimus ſemper id, quod continet, ratione eius, quod continet, confuſum dici poteſt. id aũt quod continetur ratione eius, quod continet diſtinctum uocari poterit, quo fit, ut confuſum confuſe, & diſtincte cognoſci habeat, & diſtinctum diſtincte, ac confuſe. ita ut confuſum, & diſtinctum ad obiectam rem pertineat, confuſe uero, & diſtincte ad notitiam, & modum, confuſum eſt, quod multas diuerſæ rationis partes habet, id cõfuſe cognoſcitur per nomen: & per attributa quædam, quæ extrinſecus habentur. cognoſcitur autem diſtincte per partes, & definitionem. præterea partes totius ad ipſum cõparatæ diſtinctæ dici poſſunt, ſed comparatæ ad eas partes, quas continent, confuſæ dicuntur (nihil enim uetat, quin idem ſit pars, & totum, modo ſit comparatio diuerſa) quæ item diſtincta, uel

De iis, quæ à nobis primum cognoscuntur confusa notitia, modoq; percipiuntur, quemadmodum de toto diximus. quare in cognoscendo eo toto, quod appellatur totum quod cognoscitur, semper à minus uniuersali, ad magis accedimus: & à confusioribus, ad distinctiora. uniuersalia uoco, quæ pluribus conueniunt, & magis uniuersalia, quæ adhuc pluribus. unde caput habere uniuersalius, & communius, quàm equum esse, habetur: & habere ossa adhuc, quàm habere caput, fusius est: item constare ex elementis amplius, q̃ habere ossa iudicatur. Progressio igitur notitiæ ab iis fit, quæ minus uniuersalia sunt, ad ea, quæ magis, idq; in principiorũ inuentione, quæ maxime uniuersalia sunt. quippe quæ communissima omnium ratione in omnibus reperiuntur. ne uero quis credat indiuiduum certum, ac singulare, quamprimum cognosci, ideo de eius notitia, pauca dicam. Indiuiduum ergo licet cognosci possit, non tamen primo cognoscitur, nec directe, nec per se. sed postea, reflexe, & per accidens. non cognoscitur primo, quoniam non est idoneum mentem excitare, quippe quia nullam sui speciem præbet. ratio enim ab indiuidua natura nulla est permutationis, ac similitudinis. sed neq; illius causa cognoscenda omnia cognoscuntur, quando illud sit ens, ratione cuius omnia cognoscuntur. nec perfectione primum est

indiuiduum, quoniam id, deus eſt, qui perfe-ctione omnia excedit. uel aliquid aliud genera-lius. cæterum nec per ſe intelligitur, quia non per propriã rationem: nec directe, quia non per ſpeciem, nec præciſione aliqua: iccirco quia tum à ſenſu, tum ab intelligentia dignoſcitur. quare cum tot modis non cognoſcatur, reliquum eſt, ut per cõuerſionem quandam cognoſci queat. mens enim ad ſpectra, & uiſa conuertit ſeſe. in his ma teriæ conditiones apparent, nam ſpecies intelli-gibilis quamprimum refert indiuiduum quod-dam nulla certa proprietate determinatum, quod uagum, & erroneum uocant: deinceps naturam in ſe puram, & ſinceram: poſtremo indiuiduum certum, & iis conditionibus, atq; adiectionibus determinatum, quæ in ſpectris, & uiſis relucent. unde ſi mens uelit ipſam ſignificare ſtatim ſe ad ſpectra conuertit, ut in iis inueniat materiæ con-ditiones: quare cum eodem modo, cognoſcamus res, quo ipſas declaramus, declaremus autem in-diuidua iis adiectionibus, quæ materiem conſe-quuntur, ut colore, figura, ſitu, & qualitatibus aliis, ideo etiam eodem modo ipſa indiuidua co gnoſcemus: ſed nos eò reuertamur, unde digreſ-ſi ſumus. Diximus de eo toto, quod cognoſci-mus, nũc de eo toto agendum eſt, propter quod cognoſcimus, id autem eſt magis uniuerſale, ac

De iis, quæ à nobis primum cognoscuntur communius habetur, nam quemadmodum sensus percipit res sub ratione cõmuni potius, quàm sub propria, ita etiam mens nostra, quæ ad res sibi obiectas, eo modo, quo se habent ad suas sensus, comparatur. sensus enim album, ueluti totum recipit, sub ratione cõmuni, hoc est coloris. ita & mens totum primo apprehẽdit sub ratione entis, quàm huius, uel illius entis. & quoniam naturam imitari uolumus, natura autem prius id gignit, quod cõmunius est, & ad plura pertinere potest. Verbi gratia materiem prius, & formã, quã elementa, hæc uero prius, quàm mixta, mixta autem prius, quàm plantas, uel animalia. ideo mẽs sub ampliori, ac cõmuniori ratione assumet res potius, quàm sub pressiori, ac magis singulari, & propria. ecce tibi exemplum, percipitur equus à sensu, tanquam totum quod, idem percipitur, ut magnitudinem habens, tanquam totum quo. magnitudo enim cõmunis ratio est, propter quã equus sensui subiiciatur. hunc eundem equum mens sub cõmunissima ratione percipiet, hoc est sub ratione eius, quod est. nam propterea omnia sunt intelligentiæ obiecta, quia sunt, & quia iudicat illud, quod est esse extensum: ideo sub cõmuni corporis ratione cognoscit. Præterea sensus percipit equum moueri, quod est secundum sensibile cõmune, quare illico mens iudicat illud

esse animal. Deinceps equi figura prona, & eo modo, quo est à sensu percipitur. figura enim tertium cõmune sensibile. quare mens quoq; aliquã animalis speciem putat esse, atq; ita pari modo sensus, & mens à cõmunioribus ad minus cõmunia descendunt, in cognitione rerum, non quæ sunt, sed quæ causæ sunt, propter quas res ipsa percipitur, & sicuti in priori notitia, à confusioribus, ad distincta, ita etiam hoc loco à magis uniuersalibus, ad minus uniuersalia procedimus: atq; ita res uniuersa cõcluditur, ut primum quod intelligitur sit minus uniuersale, ac confusum, primum autẽ propter quod intelligimus, sit magis uniuersale. Quod si conferre uelimus primum quod, & primum propter quod intelligimus, sanè fiet, ut totum propter quod cognoscimus ratione, ac excogitatione sit notius, quam totum quod: uice autem uersa in agendo, ac gignendo totum quod notius est, & prius, quàm illud propter quod cognoscimus: nam illud rationem finis habet, finis autem cogitatione præcedit, quicquid ad ipsum nos ducit. unde fit, ut excogitando totum propter quod notius habeatur, quàm totum, quod cognoscimus: quippe quia illud finis est, hoc autem medium quo ad finem peruenimus existimatur. atq; eadem ratio si totum ad suas utrunq; partes cõparetur semper id, quod ma

gis est uniuersale, ac commune in gignendo, & producendo natura notius erit, in cognitione autem ignotius, & posterius: nam quæ propinquiora sunt ad finem, eandem rationem cum fine ipso habere iudicantur. quapropter cum finis præintelligatur, & ea quoq; quæ sunt fini coniunctiora præintelligentur, & remotiora posterius habebuntur. atq; hæc sunt quæ de iis dicenda pro tempore iudicauimus, quæ primum cognoscuntur: solers autem ingenium multas multorum dubietates his rationibus explicabit: nos uero ad ea, quæ proposita sunt accedamus. res enim dictorum dabit indiciū, iudex uero esto, qui uelit.

De diuisione, & apparatu scientiarum.

Dico igitur, quandoquidem probatum est, naturam temere, aut frustra nihil moliri, omniaq; ad finem proprium, ac legitimum referri, facultatemq; habere, qua ipsum consequantur. Dico inquam hominem temere à natura, uel casu non esse factum, sed & finem propriū habere, & eius compotem fieri posse, ob multas quas habet insitas facultates: sed quia unus cæterarum rerum agendi modus à natura est constitutus. homo autem ex sese uarias promit actiones, quia liberam uoluntatem possidet, ideo ipse sibi finem in-

ueniet, non autem omnem, sed eum, qui sit eius naturæ accõmodatus, is autem erit maxime proprius, ad cuius adeptionem miras habuit facultates, unde cum eas uires habeat, quæ speculandis rebus, & causis conquirendis, in quo ueri iudicium, &, quæ ad actiones pertinent, ubi finis bonorum subministrari apparet; ideo ad ueritatem peruestigandam, & probitatem colendam maxime natus erit, hinc fiet ut ueritatem disciplinis: probitatem uirtutibus acquiret, & quanquam suapte natura sit aptus, arte tamen, & exercitatione plurimum adiuuari poterit. quare dabitur ars quædam, modusq; sciendi, quo uerum à falso, & bonum à malo discernere poterit. Modum, & artem διαλεκτικὴν, uel λογικὴν, Græci. dialecticen, uel differendi artem Latini uocant. Adhibebitur ergo dialectica ueluti moderatrix intelligentiæ, ac notionis nostræ, qua duce mens ad ueram, & æqualem rei notitiam perueniet, ita ut quicquid in ea fuerit, in re quoq; respondere dignoscetur. & ita res concipietur, ut cõcipi nata est. concipi autem nata est, uel simplici iniectione, uel per causas quæq; suas, at instrumentum, apparatusq; rei simplici aggressione concipiendæ ipsa definitio est, at machina rei per causam propriã concipiendæ appellatur Græce ἀπόδειξις, Latine demonstratio, uel euidens proba-

tio. hæc autem est ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit: sed quoniam nota quædam sunt, æque nobis ac naturæ: quædam uero naturæ, sed non nobis, & aliæ nobis, sed non naturæ: ideo uidendum est ex quibus, & quàm uaria sit demonstratio. Quoniam igitur ex obscuris, lux nulla oritur; ideo nec demonstratio quidem ex obscuris efficietur. quæ autem sunt nota nobis, sed naturæ ignota, ea sanè ostendunt rem esse, & demonstratio τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ ὅτι dicitur, quæ uere demonstrationis uocabulo digna non est. sed quæ pariter nobis, & naturæ nota sunt, si eodem modo sese ad ignotius habent, eam parient demonstrationem, quæ ἁπλῶς demonstratio nominatur: quæ est cum rem per causam propriam noscimus, nõ ignorantes etiã quod illa est uera, & propria eius rei, quam noscimus causa: si uero non eodem modo se ad ignotius habent, tũc demonstratio propter quid, καὶ τοῦ διότι Græce nominatur, quæ fit cum rem per causam quanq; suam noscimus, ignorantes an ea causa sit, ad id, quod nouimus, accommodata: sed demonstratio illa simplex uerissimus est scientiæ modus, absolutamq; intelligentiæ nostræ perfectionem parit, atq; hæc generalis necessitas est apparatus, & instrumenti, quo scientias comparamus. De quibus iam dicere aggrediamur.

grediamur. Perfectissimum ergo animal perfe-ctissima ratione, perfectissimo fini coniungitur, perfectissimus finis est, quo tẽdunt, collimantq́; omnia: perfectissima autem ratio est, quæ illius functioni similior est. functio eius est intelle-ctio, quare intelligendo animal perfectissimum perfectissimo fini cõiungetur. intelliget ergo ho mo, & sciet, sciet autem cum pulcherrimarum, re-conditarumq́; rerum causas intuebitur, intuebi-tur autem cũ sedula peruestigatione eas quæret. nam quæstio nihil est aliud, quàm cognitionis ap petitio. quæret autem dubitando, dubitabit au-tem cum admirabitur, & æque se ad aiendum, & negandum habebit. cumq́; admiratio sit contro-uersia quædam, ac repugnantia rerum cum intelli gentia, & mente, profectò maxime admirabimur, cum maxima erit controuersia. cum igitur anima una sit, indiuidua, & immutabilis, profectò illi repugnabit, multitudo, magnitudo, & motio. quare merito, motum, à quo uarietas rerum: ma gnitudinemq́;, & multitudinẽ admirabitur. hinc naturæ speculatores, hinc mathematici, hinc sa-pientes primi prodiere: nam qui hæc tria simul admirati sunt, naturales indagatores euasere. qui uero magnitudinem, & multitudinem suspe-xere: mathematici dicti sunt: qui uero multitu-dinem tantum admirati sunt, sapientes primi, ac

theologi deuenere. unde tres maximæ, ac primæ ſcientiæ profectæ ſunt. naturalis, diſciplina, ſic enim mathematicam uoco. & prima ſapiẽtia, quæ μεταφυσικὴ dicitur naturalis motum conſiderat, & affectiones corporum omnium, & magnitudinum. quare fit ut maxime dubia ſit ob uarietatem, & recondita ob uiciſſitudinem rerum, quæ maximam habent cum anima cõtrouerſiam. Mathematica, quæ diſciplinæ nomen ſortita eſt: quantitatem tam cõtinuam, quàm diſcretam conſiderat, hæc certiſſima eſt ſcientiarum, quoniam ſiquis recte conſideret, illud, quo cognoſcuntur res illi ſubiectas, tam ſenſui, quàm menti notum eſt. nam in ſenſu ratione magnitudinis, & in mente ratione corporis dignoſcuntur. ſi uero motus corporum quandoq; ſpeculatur aſtronomus, eos ad magnitudinem, celeritatem, tarditatem, proportionemq;, non autem ad materiã in qua rerũ uarietas poſita eſt, referre uidetur, quẽadmodum naturalis. eadem uero ſunt, in quacũq; materia reperiantur: triangulus enim ſiue æneus ſit, ſiue cæreus ſemper triangulus eſt, pari forma, circulus, quadratus, aliæq; figuræ. atq; hæc mathematicam ſpeculationem faciunt. prima autem philoſophia multitudinem rerum conſiderat. & id, quod eſt cõmune omnibus, ſcilicet eſſe rerum ſimplex, & abſolutum, cui quatenus huiuſmodi

eſt. ſubſtantia, & accidens, uniuerſale, & ſingu lare, unum & multa, cauſa, & effectus, poſſibi- le, & neceſſarium, poteſtas & actus: & huiuſmo di alia conueniunt. hæc enim omnia conſequun- tur res ex ea parte, quatenus ſunt. nam trique- tra, & quadrata figura; ſequuntur res: ubi men- ſuræ ſunt effectæ: par, & impar conſequuntur res, ubi iis numerus applicatur: albũ, & nigrum, conſequuntur res, ubi factæ ſunt corpora natura- lia, & omnino quicquid dicitur, quod non con- ſequitur rem, niſi poſtquam effecta ſit ſubiectum alterius ſcientiæ ſeu phyſicæ, ſeu mathematicæ, id non pertinet ad ſcientiam, quam primam phi- loſophiam uocamus. Nõ eſt autem hic locus par ticulares ſcientias reperire, & eas, quæ his princi- pibus ſubiunguntur, ut medicina, phyſice: ſcien- tia ponderum, & machinarum, mathematicæ, & huiuſmodi aliæ notiones, quæ infinitæ ſunt ferè, ac innumerabiles, ſatis erit breues quaſdam nor- mas adhibere, quibus cognoſcatur, quæ cuiq; ſciẽ tiæ ſubiuncta ſit, atq; ea prima eſt, quod res ſubie cta eius, quæ ſubiungitur, ſub ea re ſubiecta col- locetur, quæ ad principem ſcientiam ſpectet: de- inde, quod ſubiunctæ ſcientiæ ſubiectũ annexam quandam, & aduentitiam addat differentiam, ad ſuperioris ſcientiæ ſubiectum. Tertio quod prin cipia ſcientiæ ſubiugatæ ſint cõcluſiones ſcientiæ

De diuisione, & apparatu scientiarum subiugantis. Demũ quod subiuncta scientia duabus saltem scientiis subiungatur: quibus positis certum apparet subiectam scientiam non se habere ad subiicientẽ, ut se habet homo ad animal, aut species quædam ad genus: & quod duabus saltem scientiis subiiciatur, ut sciẽtia de aspectibus, cum dicit perfectissime rem uideri per lineã rectam uisualem. hoc enim modo geometriæ, ac naturali sciẽtiæ subiecta est. præterea illud subiugatæ sciẽtiæ subiectum est quoddam totum per accidens: addit enim aduentitiam rationem, & differentiam ad subiectum superioris, ut in musicis numero additur sonorum. in scientia de aspectibus lineæ uisus additur, & similia: sed quomodo de cõnexo illo habetur scientia? cum non ea ratione, qua tale est, sub scientiam cadit? an quia de ipso multæ rationis collectiones, & conclusiones probari possunt, ut alias diximus? & similia. quare fit ut nulla diuinæ philosophiæ subiuncta scientia sit. primum quia scientia nulla discrimen addit ad eam, quod sit aduentitium: deinde quia ipsa non probat aliarum scientiarum initia, quæ per se nota sunt, nisi quis transgredientes, & transcendentes quasdam rationes asciscat, sed hæ parum, aut nil sanè, ad particulares scientias conferre existimantur: atq; hæc diuisio est scientiarum, quæ de rebus agunt, unde exclu

ditur, dialectica, rhetorica, grammatica, poesis, quæ de notionibus sunt, & ad eas res pertinent, quas mente iam percepimus, de quibus inferius est dicendum. excluduntur etiam scientiæ illæ, quæ ad actiones pertinēt, nanq; illarum finis est speculatio: harum autem actio: unde πρακτικαὶ nominantur, à fine. non est autem quod credamus (ut hoc quoq; interim innotescat) scientiam in speculatiuam, & actiuam, tanquam in differentias, & species quasdam proprias, & differentes secari. quoniā scientia speculatiua, propter duarum habitudinum priuationem ab actiua scientia differt. habitudines autem illæ ad actiuam scientiam spectant. cum ergo actio, quàm πρᾶξιν nomināt, ad uoluntatem spectet. uoluntatis uero actio sit intellectione posterior, apta tamē ad intellectionem conformari, intellectionem inquā, ac rationem rectam, ut ipsa quoq; recta sit, profectò actiua scientia, quæ ad actionem usq; protenditur, duabus comparationibus, ob aptitudinem quandam intelligetur. quarum altera est præsidentiæ: consensionis altera: per præsidentiam scientia ipsa præcedet actionem, per consensum, autem diriget actionem, ipsamq; responden tem rectæ rationi efficiet. habet autē actiua scientia præsidētiam à uirtute, & ratione ordinis, nam scientia mentis functio est, mētis autem functio

uoluntatis præcedit functionem. ratione igitur naturalis ordinis actionem ipsa præcedit actiua scientia. quod autem dirigatur à re sibi obiecta possidet: quoniam illud ab omnibus est sapientibus peripateticis concessum, agens tantundem præbere eorum, quæ formã consequuntur, quantum formæ tribuit. cum igitur obiecta res scientiam efficit, ut actiua sit, quemadmodum antea dictum est (nam sunt quædam res quæ in actione, & generatione uersantur) ideo etiam res eadem obiecta consequentia, & connexa tribuet, sed ex consequentibus illud est princeps, quod actiones dirigi habẽt. quare cum actiones unius sint: ut ab uno ueniunt, & ut cum aliis cõmunicari possunt, ideo scientiæ actiuæ eas dirigent actiones, quas homo solus efficit, & eas, quas cõmunicare cũ aliis solet, inde scientia de moribus orietur: illinc uero, scientia, quæ ad multorum societatem pertinet. quoniam uero societas, uel domum facit, & familiam, uel ciuitatem, ideo altera scientia domesticas actiones: altera publicas gubernabit. atq; ita absoluta est speculatio nostra. quã initio proposuimus: de notitiæ nostræ principiis: de scientiarum necessitate: de instrumentorum opportunitate, quæ omnia nexu quodam, ita sunt colligata, ut alterum sine altero intelligi minime queat. tu uero amplissime presul,

cuius exemplar nostræ speculationis exemplum dedit, hilari animo suscipe hos labores nostros. quos meditando parturire, & scribendo parere ea de causa deliberauimus, ut ipse eos legens, & ad intelligentiam tuam transferés, in iis animum quoq; meum propensum, ac tui memorem digno scere posses. quod si res ipsa, & partus non permouebit, certe parentes, quorum res ipsa, & partus imaginem refert, deditos & deuinctos cognosces.

De dialectica.

Quemadmodum scientia rerum agendarum actioni præponitur, atq; ita præponitur, ut tãquam regula, & præscriptum quoddam habeatur eorum, quæ agi debent, ita sanè dialectica cæteris artibus, & scientiis præponenda est. cum sit apparatus, & modus sciendi: nam differẽdi facultas conatus mentis, & aggressiones, quas Græci ἐπιβολὰς dicunt, ad rectũ iter deducit, nec torqueri, à uero tramite intelligentiam sinit. unde cum ad eas res, quas cognoscimus, ex ea parte quatenus cognoscuntur, adhibenda sit, profectò communi quadam ratione ad omnia, quæ mente concipimus, pertinere iudicatur. ita ut ad omnes res definiendas unica seruiat definiendi ratio, & ad

omnes rationes concludendas, ſola ſit demõſtrandi regula, ueluti menſura una dimetiendis pluribus rebus accõmodata : & ob id cõmunem quandam artem, uel ſcientiam (inutilis enim ea quæſtio eſt, utrum ars, an ſcientia, an modus dicenda ſit) ſolemus dialecticam nominare: uocamus etiã λογικὴν, tum quia in ratione poſita eſt, tum quia à ratione inuenta, paulatim, & longa annorum ſerie, ut artes, & ſcientiæ omnes, incrementum ſuſcepit, ac demũ (quod illi maxime cõuenit) quoniam circa id uerſatur, quod à ratione, & intelligentia effectum eſt. illud autem eſt ſecunda notio, uel poſterior mentis iniectio, quam ἔννοιαν, uel ἐπιβολὴν δευτέραν, uel σχέσιν Græci nominãt. nam in ſcientiis, quæ de rebus agunt, cuiuſmodi ſunt illæ tres, quas in ſuperiori cõmentatione inuenimus, & diuiſimus. & illæ, quæ iis ſubiunctæ ſunt, mens noſtra circa ea uerſatur, quæ rerum naturas innuunt, ac ſine medio de rebus agunt, quæ ſub prima notione, collocantur. At in logicis, nõ res, ſed notiones proponũtur, ita ut logicam eſſe ſcientiam, uel artem dicemus notionum, & intellectionum, quoniam notionibus, & intellectionibus tãquam moderatrix adhibetur : neq; uero aliis tantum ſcientiis, & artibus eſt modus, ſed ipſa ſibi, ueluti menſura adhibetur. ea enim mentis facultas eſt, ut id naturali quadã uirtute perfi-

ciat ;

ciat; quare siue aliis rebus, siue sibi ipsi comparetur, modus sanè sciēdi iudicabitur, perinde ac dodrans, uel alia mensura, quæ tum alias res, tum se ipsam metitur. unde ὄργανον dicta est potius, quā scientia, quanquam conditione quadam scientia suspicari potest: ne contentionis potius, quàm ueritatis cupidi esse uideamur. eatenus scilicet, quatenus ab eius officio, ita auocari possit, ut quid sit, quid ualeat, quid præstet ipsa per sese, ac seorsum consideretur. Sed hæc alias, illud saltem hoc loco positum sit, quod non est referenda in earum scientiarum numero, quæ de solidis rebus agunt. Quæ ut clarius elucescant, illustris quædam partitio adhibenda est. Duplex igitur mentis est munus; simplex alterum, & absolutum, quod simplici, absolutaq; intellectione absoluitur. Alterum uero, quod in comparatione, ac relatione positum est. quo ea, quæ simplici, absolutaq; intellectione percepta sunt, inuicem conferuntur. ex priori officio, species ipsæ, quæ sunt tenues rerum similitudines, excipiuntur; ita ut primæ iniectiones, & adhibitiones mentis appellentur. res huiusmodi iam perceptæ, ac in intelligentia collocatæ, aptitudines quasdam habent, quæ tanquam fundamenta sunt earum comparationum, quæ posteriori functione mētis efficiuntur, has etiam iniectiones, & notiones appellare

libet, uel aggreſſiones, uel etiã intentiones: ſed
hoc diſcrimine à prioribus diſtinguuntur, quod
illæ, ad res ipſas, quamprimum accõmodantur.
hæ uero ad rerum conceptiones, & notiones. in-
tenditur enim conſideratio in illas, quoniã mens
naturalem uim habet, quam intendit ad ea, qui-
bus mouetur; Græci ἐπιβάλλειν dicũt, quod eſt
certa cõmentatione incumbere, ad intelligẽtiam
rei. unde ἐπιβολὴν, ut dixi, aggreſſionem, & co-
natum, nominant, ἀπὸ τοῦ βάλλειν quod ſignifi
cat τὸ κρατεῖν τοῦ σκόπου. hanc eandem peripate-
tici ἔννοιαν uocant, eo quod intus fiat, nam mẽs
ubi aliquid tanquam opus exegerit, ad id conuer
titur, ut uideat an recte ſe habeat, necne. quare cõ
parat, inuicemq; confert ea, quæ intellexit, & ha-
bitudines eorũ conſiderat: quo fit, ut quæ unius
generis habitudinem habent, una quoq; cõmuni
appellatione uocẽtur. Verbi gratia, quibus rebus
mente perceptis conuenit, ut de pluribus afferan-
tur, iiſq; ſpecie differentibus, illa omnia dicẽtur
genera: quibus uero ineſt aptitudo, ut alteri ſubii
ciantur, ea omnia ſubiecta uocabuntur, atque ita
plures habentur res, quæ genera dici poſſunt, &
plures etiã quæ ſubiecta nominabũtur. & quem-
admodum pluribus in una, eademq; natura cõſen
tientibus idem eſt nomen, ut pluribus equis, uel
hominibus idem natura nomen aptatur; ita qui-

buſcunq; rebus cognitis eadem inerit aptitudo, atq; eadem habitudo, illæ idem uocabulum ſor-tientur. unde tam animal, quàm color, genus uo cabitur, quoniam tam animali cognito, quàm co lore percepto eadem aptitudo ineſt, ut de multis formis ſibi ſubiectis afferri poſſint. quare compa rato colore ad candorem, & nigredinem cogni-tam: item animali ad hominem, & leonē, eadem erit habitudo, quæ genus nominari poterit. unde tam color, quàm animal genera eſſe dicuntur. prima igitur notio eſt res ipſa obiecta, uel iam co gnita, uel quæ cognoſci poteſt mentis munere ef-fecta abſtrahendo, & depurando eo modo, quo dictum eſt, cum de intellectione ageremus. eaq; fit actricis intelligentiæ colluſtratione, & in pa-tibili mente recipitur, cui ſecunda notio ex habi-tudine, quā habet, collatione per patibilem men-tem confecta, attribui nata eſt. quo fit, ut nulla ſit ſecunda notio, quæ alicui tribuatur, niſi illud ſit prius cognitum, & niſi aliqua in eo, quod prius cognitum eſt, proprietas inſit. nō enim omnis no tio animali cognito tribuēda eſt, neq; enim ipſum orationem eſſe dicemus, nec enunciatum, nec ra-tiocinationem, licet dicatur, genus, uel nomen, uel ſubiectum, uel uniuerſale, uel huiuſmodi ali-quid aliud. Quare liquet iam notiones has eſſe opera intelligentiæ noſtræ, ex collatione, rerum

cognitarum, ob proprietates quasdam, uel aptitudines potius, quæ illis cognitis inesse, cõspiciuntur. unde non est dicendum eas proprie, ac legitime esse, quandoquidem nec proprie, nec legitime sint res illæ, quibus attribuũtur. nam res, quæ mente percipitur, non simpliciter, & absolute, sed cum adiectione esse iudicatur, animal enim uere, ac absolute est in rerum natura, sed quatenus mente percipitur, esse cognitum dicitur, nam rei cognitæ imminutũ est esse. quare multo imminuetur magis notio, & habitudo eius, quæ in ea inerit, ut cognita est. uerbi gratia si equus mẽte perceptus minus est, quam uerus, multo etiã minus erit habitudo, & cõparatio quæ equo mente percepto attribuetur: dixi attribuetur, nam secundæ mentis aggressiones, nulli proprie inhærent, nec legitime in aliquo esse subiecto dicuntur. sed sola mentis attributione, ad primas notiones, denominandas, & explicandas, accõmodantur. ita tamen ut primarum notionum uirtute cognoscantur, ueluti consequẽtes quædam, & annexæ proprietates: cæterum multæ artes habentur, quæ circa huiusmodi notiones uersantur, grãmatica, dialectica, rhetorica, poesis, & aliæ similes, quæ omnes cõmuni quodam uocabulo, λογικαὶ dici solent: uel quia sermonem instituũt, uel quia de iis sunt, quæ rationis opere conficiuntur. sermo-

nem instituit grammatica, ut aptis personis, casibus, numeris, figurisq; conformetur. eundem ornat rhetorica, ut suadeat; corrigit dialectica, ut probet; instruit poesis, ut delectet. in omnibus autem ratio ipsa, & comparatio mentis munere perfecta cōsideratur. Nam in grāmaticis nomen, uerbum, participium, & reliquæ orationis partes, & quæ in iis continentur, uoces sunt, quæ posteriores notiones explicant, idem in poeticis, rithmus, pes, carmen, harmonia, mensura: idem in rhetoricis, suasio, accusatio, laus, forma, membrū, sententia, clausula, figura, numerus: idem quoq; in dialecticis, genus, forma, differens, proprium, aduentitium, agnomen, complexum, incomplexum, substantia, quantitas, qualitas, comparatio, habitus, actio, perpessio, situs, quando, ubi, oppositio, prius, notio, nomen, uerbum, oratio, enunciatio, propositum, terminus, allatio, fastigium, collectio, demonstratio, definitio, & reliqua dialecticorum propria, quæ nisi quis quomodo effingantur, agnoscat; profectò perinde iis utetur, ac faber malleo, ignarus qua natura sit ferrum, quibus constet initiis, quæ mixtio, quæue temperies illius habeatur. sed antequam eorum, quæ diximus, quicquam exemplo declaretur. de uniuersali sermo est habendus. hoc enim uestibulo in ipso nobis obuiā uenit. cuius ratio est, quia

in dialecticis nil aliud quæritur, nisi quo nã modo quicquam de aliquo afferre possimus, ita ut dicamus hoc est, uel nõ est huiusmodi. uerbi gratia, homo ratione utitur, equus ratione non utitur, homo est rectus, homo non est indocilis. Afferre autem, atq; accusare, ut ita dicã, alterum de altero non ualemus, nisi id, quod affertur in eo insit, de quo affertur. cum uero absurdum sit, & incommodum putare, ut quicquam in se ipso insit, profecto fiet. ut omne, quod insit, in altero inesse dicatur. quare necessario etiam consequetur, ut illud, quod affertur, & inest, sit uel intrinsecum, uel extrinsecum illi, de quo affertur, uel etiam cui inest. intrinsecum uoco, quod intus sumitur, & ad rei naturam pertinet. extrinsecum autem, quod non sit in re positum, sed adiunctũ extrinsecus habeatur. cæterum quocunq; modo inerit, certe aptitudinem quandam habebit, ut semper de pluribus afferri, ac in pluribus inesse possit: quare statim uniuersale fiet, cõmunicabile, ac difusum per multas res similes. cum ergo prima mentis actio sit, cum ex noto ignotum quæritur, ea disponere, ac ordinare, quæ de altero afferri, uel prædicari, & accusari possunt, hoc autem intelligi non possit, nisi ea, quæ ponuntur sub hac serie dignoscamus, ideo de iis primo loco agendum est, ac de uniuersali, nanq; uniuersale causa

eſt, ut alterũ de altero afferri poſſit, cum ad mul
ta pertineat, & in multis reperiatur. quemadmo-
dum in ſequenti ſpeculatione innoteſcet. illud au
tem non negligendum eſſe duximus, quod ad
dialectices cõmẽdationem ſpectat: licet alia, quæ
librorum initiis explicantur, hoc tempore conſul
to præteriuimus, quando ſcorſum proprias de iis
cõmentationes fecimus. Quæ res igitur utilior?
quis apparatus magnificentior? quod emolumen
tum præclarius excogitari poteſt? quam ea facul-
tas, quæ mentis, ac intelligentiæ noſtræ habenas
poſſideat, præſitq; rationi, & ita præſit, ut in nul
los eam errores, in nullas ſirtes, in nullos ſcopu-
los impingere patiatur? ſed & quæſita diutius in-
uenire, & inuenta certius iudicare doceat, diui-
dat, componat, conferat, contraria diſcernat, pa
ria coniungat, repugnantia ſoluat, dubietates tol
lat, principia muniat, congreſſiones cuſtodiat,
æquum, & uerum tandem ueris, & equis rationi-
bus tueatur? oſtendens quid, ex quibus, quomo
do, & qua concluſione ratio colligatur. unde re-
rum definitiones, & partitiones multis orationis
luminibus illuſtratæ, necnon ſimilitudines, &
diſſimilitudines, & earum tenues, & acutæ diſtin
ctiones fidentes homines reddũt, illa uera, & fir
ma, & rata eſſe, quæ dicunt: ubi ſcientiarum fir-
mitas, & uirtutum conſtantia, circunſpectio re-

rum, & accurata consideratio actionum, sacrosanctum philosophiæ decretum, ratio, lux, lumenq; uitæ apparet: ita ut ueritas, quæ prius in abstruso penitus esse uidebatur, emergat, & eius insigne, antea oppressum, & obscurum, postea illustre, notumq; reddatut. Quod si omnia eloqui uelimus, nullum tempus, nulla copia, nullus orationis splendor satis erit. hoc tamen affirmabimus: dialecticen mensuræ, & lancibus comparari: nam quemadmodum in iis rebus, quæ mensura metiuntur, & lancibus ponderantur, nec lucrum, nec damnum percipimus, nisi mensurando, ac librando: ita certe in scientiis eueniet, ut neq; quid iam sit acquisitũ, quidq; acquirẽdum supersit, cognoscamus. nisi dialectica ipsa librentur, & metiantur. cum uero utilitas omnis, & quæstus, si ad felicem, ac beatam uitam comparetur, nihil ferè sint, felix autem, ac beata uita ex animæ perfectione pendeat. perfectio uero animæ ornatu, ac pulchritudine absoluatur, quia in ornatu ueritas, in pulchritudine probitas sita est, profectò maxima laude, ac summa cõmendatione digna est ea facultas, quæ animam, ueluti speculum perpolitum, ac omni abstersum macula illustret, aptamq; reddat ad ueritatem, & sinceritatem suscipiendam. unde omnis eius decor, ac ornamentum proficiscatur.

Homo

Commentatio nona.

De uniuerſali.

Homo in medio rerum poſitus, nihil aliud externis uiribus, quæ ſenſus appellantur, intuetur, & percipit, niſi quod eſt ſolidum, & concretum internis autem ſpecies rerum effingit, comparat, & res uel longiſſime remotas, uel etiam nõ exiſtentes, intranea quadam ui, ſentit, intelligit, & meditatur. quapropter, uidendum cenſeo, quo nam modo res extra intelligentiam noſtram ſoliditatem habeant, & qua ratione paululum diminutæ in anima collocẽtur. ita enim ratio uniuerſa, quã quærimus, de uniuerſali, expedietur. Tria igitur certo quodã ordine uidenda, & diſcutienda ſunt nobis. indiuiduum, natura, & uniuerſale. nanq; his tribus explicatis, quod quærimus, haberi facile poteſt. Ne uero lõgius aberret oratio, eas indiuidui acceptiones afferam, quæ mihi opportunæ uidebuntur hoc tempore. indiuiduum ergo duobus modis capi ſolet. uel quod aliqua indiſtincta, indeterminataq;, & promiſcua proprietate adducitur, & cõtrahitur: commune, quod proprio ſigno notari ſolet. ut, aliquis homo, aliquis leo, nam licet cõmunis quædã ratio ab iis uideatur abeſſe, nõ tamen certa adeo, ac præfinita proprietas adeſt, ut potius hunc, quàm illum homi-

nem, uel leonem, intelligas. hinc est quod indiuiduũ uagum, & erroneum appellatur. est etiam indiuiduum præfinitum, ac certum, ad quod digitum intẽdas: huius præfinitionis duplex est causa, propria, & apposita. propria causa est proprietas quædã legitima, & intranea, quæ naturã contrahit, & ad singularitatem adducit: apposita uero causa est, aduentitia quædam, & annexa externarum rerum strues, in qua locorum, temporum, & qualitatum discrimina cõnotantur, ita, ut quæ uni adsunt, alteri adesse non possint, coaceruata scilicet, & coniuncta. ut Socratis caluities, pallor, inambulatio, & disceptatio; quæ continenter abeunt, & redeunt, nec certum quendam locum habent, in quo consistant. non modo autem in substantiis indiuidua sunt, uerum etiam in accidẽtibus illud album, hoc dulce, canorum illud, hoc beneolens, hoc asperum, istud comparatum. sed hoc interest, quod indiuiduũ substantiæ, subsidens, uel substratum, aliasq; suppositum nominatur, ille equus, ille canis, hic homo, iste lapis. accidentis autem non item. subsidet autem, ac substernitur indiuiduum substantiæ, non modo accidentibus, tam propriis, quàm cõmunibus, ut in eo inhæreant, & subsistant; sed etiam ita subiicitur, ut quæ illi superiora sunt, & cõmuniora, de eo afferri, & prædicari possint, ut inferius inno-

teſcet. cæterum cum triplex ſit indiuiduũ, quem-
admodum dictum eſt, erroneum, certum per ſe,
& certum per accidens. prætermiſſis extremis,
mediũ quærimus. cuius uocabuli rationem, uim,
& naturam explicabimus. Dicitur ergo indiui-
duum, iccirco quia in partes ſibi ſubiectas diuidi
nequit, & nullo modo eſt cõmunicabile. cõmu-
nicari autem dupliciter aliquid poteſt, uel tan-
quam forma, ſiue ſit propria, ut anima, ſiue aduen
titia, ut candor: uel tanquã totum quoddam uni-
uerſum, ac ſuperius, quod de multis partibus in-
ferioribus afferatur, ut homo, cõmunicatur Ari-
ſtoteli, & Platoni, Socrati, & Bioni, tanquam ſu
perius inferioribus. indiuiduum igitur non com
municatur, in ſubſtãtia quidem, neutro modo: in
accidente uero poſteriori tantum. Et hac de cau
ſa indiuidua dicta ſunt. Sed quid nam eſt quod
quærimus, indiuiduũ? nempe illud, quod ex hac
materia, & ex hac forma compoſitum eſt, ex hac
inquam materia, certa, & determinata ab agente
ad hanc formam, certam, & determinatam, adeo
quod præter hanc nullam queat ſuſcipere, ita, ut
imperata, & quaſi præſcripta ſit. Verbi gratia ma-
teria hæc per quandam proprietatem afficitur ad
ſuſcipiendam formam Socratis, & Platonis: ma-
teriam uoco rem ſubiectam. formam uero perfe-
ctionẽ illius. certa igitur materies eſt, cetta for

ma, certum & illud quod indiuiduũ appellamus, conflatum scilicet ex certa materia, & certa forma, hoc est materia, & forma, cuius aliqua sit proprietas, ut ex legitima harum compositione, tertium fiat, quod sua quoq; proprietate conformetur, ut nihil aliud eius sit particeps. uerissimeq; sit unum, ea unitate, qua nulla maior esse queat, ita ut ad naturam, & numerum referatur. nempe aliud magis unum esse nõ potest, quàm quod ex ea re, quæ est potestate, & ea, quæ est actu, conflatur. utriusq; enim appetitio quædam natura habetur, ut materia ad formam, forma ad materiam inclinetur. materia ob indigentiam, & defectum. forma, ob copiam, & expletionem. habetur ergo natura cõmunis, huiusmodi proprietatibus adducta: sed hæ proprietates indiuiduæ differentiæ dicuntur, & aliàs materiales. non tamen sunt ex eo genere, ut rei diffinitionem, uim, & naturam constituant. sed potius diffinitionem, uim, & naturam consequuntur, & materiam respiciunt, materiam inquam naturæ uniuersæ fundamẽtum, & stratum. unde materiales dicuntur: & quoniam non à sola materia sumuntur, sed etiam à forma, ideo differẽtiæ uocari solent. Quod si quis quærat, quo nam uocabulo eas appellare libeat. commode in uniuersum quidem, singulares, uel indiuiduas naturas. generatim uero naturam Socra-

tis : naturã Bionis, uocabimus. non enim quem-admodum dicimus humanitatem, ita hæceitatẽ, Socrateitatemq; dicere licet. quare quod uerbis assequi recte nequimus, mẽte, & intelligentia obseruemus. indiuiduũ ergo est proprietas illa indiuidua, naturam adducens, & coercens. incõmunicabilis, & tanquam pars, & tanquam totum, cuius unitas maxima est, & propriam sequitur uim, naturæ nõ intelligentiæ opus. Atq; hæc quidem de indiuiduo satis pro tempore dicta sunt. De natura uero aggredientes doctissimorum uirorum sententiis accedamus, & pro uiribus contendamus, ut tantam rem, & tot controuersiis implicatam, discutere ualeamus. Quoniam sensus humani rerum attributa, functiones, & munera tantum agnoscunt, nec naturas, ac substantias inspiciunt, ideo altioris uirtutis est opus, ut ex iis, quæ sensui manifesta sunt, arguere illa possimus, quæ nunquam pura, & sincera uidentur, neq; id mirum, si quam cõmodissime efficiatur. tanta enim est uirtutum animæ inter se conspiratio, tantaq; consensio, ut quanquam a ia princeps, alia uero subiecta sit, ea tamen quæ superiorem locum obtinet, subditæ auxilio, & ope indiget : sic internæ uires ab externis adiuuantur. sic uisio, auditus, tactio, gustatus, & odoratus, ad cõmunem sensum, tanquã ad interiorem iudicem, referuntur. ibiq; discri-

mine quodam, & iudicio penduntur: hinc ad se-
cretiorem, purioremq; potentiam per quasdam ui
ces trāsferuntur, illarumq; æstimatio accuratior,
& certior, nobis earū rerum notitiā præbet, quæ
sub aspectum nullo tēpore uenire potuerunt, atq;
eò dicta sunt, ut re ipsa constare quædam creda-
mus, quæ oculorum obtutum, & aliorum sensuū
iudicium, comprehensionemq; fugiant: cuiusmo
di est natura, quā quærimus, ueluti si quis ligneo-
lam illam uenerem inspexisset, quam Dædalus ar
gento uiuo actuosam effecerat, pluresq; eiusdem
generis statuas uideret, nesciret tamen illud ar-
gentū ibi esse, nec alibi, non'ne ex similibus mo-
tionibus aliquid in iis omnibus statuis esse iudi-
caret, quod eam uim haberet, ut huiusmodi mo-
tus efficere posset? atq; adeo id suapte natura,
in quacunq; reperiretur præstare: sed quoniam
sic ab artifice in hac positum est, quod non in illa,
ideo per huiuscemodi statuam, uel materiem, defi
nitum est, ac determinatum ad hāc potius infor
mandam, quàm illam: cum suapte natura, & inge
nio promiscue ad omnes haberetur. accedit ad
hæc, quod negare minime potes, si materia semo
ta illud stare posset, quin propriam naturam ha-
beret, nec ut esset, indigeret lignea illa materie,
quæ ipsum ad hāc statuam potius, quàm ad illam
contraheret, & adduceret. sed quia seorsum ab iis

ſtare nequit, ideo ſemper in hac, uel in iſta repe-
ritur. eſt etiam cum mente comprehendi poteſt
ſeiunctum quidem, ac ſolutum omni conditione
materiæ, in qua erat. in quo quædã aptitudo in-
eſt, ut afferri poſſit de hac, uel illa ſtatua, ſed nõ
prius affertur, quam mentis opere comparetur ad
illas ſtatuas. comparatur igitur, & ex aptitudine
quàm habet, poſitis pluribus ſtatuis mente com-
prehenſis tanquam terminis huiuſce collationis.
(ad eas enĩ refertur) illico fit ut re ipſa actuq; de
illis afferatur. hoc exemplo quãtum fieri potuit;
(non enim quod ſimile eſt, penitus idẽ habetur)
declarata eſt mens noſtra de ipſo indiuiduo, de
natura, & de ipſo uniuerſali. Indiuidua ſunt plu-
res illæ ſtatuæ. natura eſt illud argentum uiuũ,
quod tum in ſe, tum in indiuiduis, hoc eſt ſtatuis
illis, tum in mente conſiderari poteſt. Natura in
ſe conſiderata eſt tantum ipſa: in indiuiduis (ut
dixi) eſt proprietatibus illis ad materiã pertinen
tibus diſtincta. in mẽte autem, lumen intelligen
tiæ agẽtis, & ſtratum, in quo uniuerſalis notio in-
nititur, & eſt uniuerſale ubi ea mẽs, quæ patibilis
uocatur, eam comparauerit ad indiuidua in qui-
bus eſt. Quæ quoniam breuiter dicta ſunt, ideo
prolixius explicabuntur, ut uniuerſa intentio no-
ſtra innoteſcat. Natura igitur tãquam mercurius
ille, duplicem in modum conſiderari poteſt, uel

tanquam diuersa à materia in qua est , uel quate-
nus est in materia, siue in eo, in quo est coarctata,
& adducta , si priori modo sumatur , bipartita
quoq; ratione capi potest, uel ut uis , & natura q̃-
dam in se absoluta, & simplex , nihil habens alie-
næ naturæ admixtum, uel conditione alienæ ma-
teriæ uariatum, & est tantum ipsa inuariabilis, &
immutabilis . uel tanquam uis , & natura in qua
insit aptitudo quædam , ut det esse multis . licet
nunquam id efficiat, atq; hoc modo ei competit
communicabilitas, hoc est aptitudo , ut cõmuni-
cetur . cum ergo priori modo consideratur, tunc
indeterminata , & indefinita , & promiscua dici-
tur per abnegationem , quoniã negatur ab ea de-
terminatio quælibet, quoniam non determinatur
ad unitatem illam singularem, nec ad multitudi-
nem obiectam illi unitati, quæ est distinctio per
materiam, non terminatur etiã ad uniuersitatem,
non ad singularitatem, non ad locum, nõ ad tem
pus, sed semotis omnibus accidentibus , attribu-
tis, proprietatibus, & cõparationibus nihil aliud
colligit, quàm ea, quæ sibi per se insunt, ad cuius
esse nihil confert ex iis, quæ illam cõsequuntur :
scire autem licet, quod etsi huiusmodi sit, tamen
fieri non potest, quin sit semper terminata ad ali-
quod ex iis, uel ad uniuersitatem, uel ad singula-
ritatem, uel ad unitatem, uel pluralitatem, ut di-
cemus.

cemus. Cæterũ ſi ſecũdo modo ſumatur, hoc eſt, ut illi ineſt aptitudo quædam communicationis, tũc apta nata eſt dare eſſe multis, & in multis reperiri, & ſic natura communis uocatur, uel potius cõmunicabilis. ſed priori modo habet ſuam propriam unitatem diſtinctam ab ea, quam habet in indiuiduis, & minorem illa. habet autem unitatem, quia eſt res. res autem habet affectionem propriã, quæ dicitur unum. minorem uero quippe quoniam unitas illa, quæ ad numerum ſpectat, maxima eſt. natura igitur hæc indeterminata eſt, & aptitudinem habet, ut determinetur. accidit enim illi, ut à certo agente indiuidua efficiatur, & propria: accidit quoq; ut diſtinctione materiæ in multis reperiatur. fieri deniq; poteſt, ut ſincera, ac pura intelligentiæ lumine illuſtretur, & menti obiiciatur, ſoluta quidem, ac libera omni materiei cõditione. ex qua re habeat aliud eſſe, cognitum inquam, & intellectum. accidit huic naturæ hoc modo cognitæ, & perſpectæ, ut ex quadam aptitudine, quã habet, adhibito quodam mentis opere cõferatur ad ea particularia in quibus eſt, & ſic uniuerſalis efficitur. uerum hæc omnia quæ dixi. eſſe unam numero, eſſe plures materiæ diſtinctione, eſſe in anima, ut res menti obiectam, eſſe uniuerſalitate donatam, comparabilem, & prædicabilem, ſunt conſequentia quæ

dam, quibus natura ipsa prior est, sola se ipsa contenta, propriam habens unitatem, cui non repugnat, quantum ad se attinet, his modis omnibus terminari, atq; hoc modo à principe philosopho consideratur. hac ratione sub diffinitionem cadit, hac regula initium est artis omnis, & scientiæ. quæ si consideratur, ut est in materia, aut uidebimus ipsam esse finem cuiuscunq; generationis, & compositionis, ab ipsa natura maxime expetitum, & à materia desideratum, cuius absolutio est, & perfectio actusq; dicitur Latine, Græce ἐντελέχεια, aut uidebimus ipsam esse, totum rei, & sic uocatur quidditas, à nostris, & ratio, uel quod est rei esse, à Græcis, autem λόγος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι, licet sit ab indiuiduis differentiis coarctata. cæterum materia non intenditur à natura, sed forma, quæ si proprio munere absq; materia fungi posset, atq; in officio esse, nunquam in materia induceretur: sed quoniã hoc fieri non potest, ideo requiritur materies, nihil sanè conferens ad eius esse, uerum, ut eam terminet, ac præfiniat. ipsa uero, quãtum ad se attinet huiusmodi est, ut diximus. de cuius unitate, ut polliciti sumus breuiter aliquid transigemus. mox autem de uniuersali mentionem faciemus accuratam quidem, & exquisitam, quoniam ad negotium, quod suscepimus, quàm maxime attinet. De naturæ unitate



ñon multa dicemus, sed explicatissimam huius rei rationem aliàs conquirendam existimantes, satis fore iudicabimus; si ostendemus, quo nã modo, natura ipsa de se non sit una numero, ne frustra eius unitatẽ quæramus. Regula est, nihil esse, quod sub opposita, uel sibi repugnãti ratione intelligi queat, si ad rem certam, suapte ui determinatum sit; quare si natura ad unitatem numerum spectantem ex sese esset, & suapte ui destinata, non posset sanè sub alia unitate intelligi, quàm sub unitate (ut ita dicam) numerali. cæterũ quia non repugnat illi non minus ab hac, quàm ab illa indiuidua proprietate determinari, cõsequẽs est, ut non sit una numero, uel per se quidem, & primo, ut differentia indiuidua, uel per se licet non primo, ut ipsum indiuiduum: sed aduẽtitia quadam, ac aliena de causa. quare cum non sit una numero, reliquum est, ut uel per abnegationem sit una, uel per indeterminationem, uel aliquo alio modo, sed hãc rem hoc loco determinare, ac definire non intendimus: quando alterius sit considerationis. quare ut recepimus de uniuersali agendum est. nam rationis opus illud primũ est, quo series prædicabilium, quasi acies ordinantur κατηγορίας Græci, prædicamenta Latini uocant. quando igitur prædicationis ratio in primo mentis opere, & principe officio quæratur. prædica-

bile uero uniuersale sit oportet. consequens est, ut de uniuersali primo agamus. quid uero intersit inter uniuersale, & prædicabile, dicetur inferius. illud interim tenendũ est, non plus de uniuersali dialecticum tractare, quàm prædicationis, & allationis ratio postulet. alioquin primi philosophi munus est. Illud quoq; non omittendum est, nihil esse uniuersale, quod mentis opere non efficiatur, quapropter ea, quæ hucusq; de natura dicta sunt, seorsum ab omni mentis agitatione uera sunt, quæ uero supersunt intelligentiæ. functione, & officio indigent. natura igitur ad intelligentiam comparari potest, ex qua comparatione ad uniuersitatẽ terminari facile habet. sed disces duplex esse intelligentiæ munus, alterum est, quo rem simplicem, & absolutam, tanquã aurum purgatam, & nihil respicientem tenet. alterum, quo res intellectas comparat. hoc collatione quadam cõficitur, illud uero abstractione. abstractio duplex est, per similitudinem scilicet, & per cognitionem, abstractio, quæ fit per similitudinem spectat ad eam mẽtem, quàm actricem uocant. quæ spectra, & uisa, quæ φαντάσματα dicuntur obscura quidem, ac sordibus materiæ illigata, diuino quodam lumine illustrat, quin potius, tanquam lux quædam purã, ac sinceram speciem promit, tanquam lumen suæ lucis expurga-

tum. species hæc rei, obiicitur illi menti, quæ potestatis mens, uel patibilis appellatur. in qua fit abstractio per cognitionem, cum natura illa consideratur in se, nulla cura adhibita eorum, in quibus repitur. quod si natura illa sit in genere substantiæ, tum consideratur abstracta ab iis, quæ nos subsidentia, uel substrata, diximus. si uero est in genere accidentium, tũc à subiectis, in quibus inest, & ab indiuiduis seuocatur, ut cum, candor in se consideratur, seorsum à pariete, uel niue in quibus est. uel separatim ab hoc, uel illo candore, de quo afferri potest. quod deniq; si in iis accidentibus fuerit, quæ non absoluta, sed comparata dicuntur: tunc abstractio fiet, ab indiuiduis, tum à subiectis, tum à fundamentis, quoniã comparatorum quædam fundamenta, & strata sunt, quibus superstruũtur cõparationes. ignis exẽpli gratia est subiectũ caliditatis: abstraho calorem ab igne. hoc est considero calorem, non considero ignem, & sic abstractio est accidentis à subiecto, præterea, considero, respectum. Verbi gratia potestatem calefaciendi, nec cõsidero ignem: rursum, non considero calorem, sed facultatem calefaciendi: uel non considero hanc, uel illam facultatem calefaciendi, sed cõmunem illam, & uniuersam in se: priori modo abstractio est accidentis à subiecto, in quo est: posteriori, uero naturæ

à suis indiuiduis seiugatur. medio autem collatio seorsum, à suo fundamento consideratur. cum igitur res hoc modo abstracta est, & expurgata, tunc habet quandã indeterminationem, non quidem per abnegationem, ut prius, sed re ipsa, est indeterminata, & indifferens; at nõdum est uniuersalis, habet tamẽ sic cognita, & perspecta quãdam aptitudinem, ut aliquando de hoc, uel illo afferri possit, hæc aptitudo est stratũ, in quo uniuersitatis ratio fundatur. mens igitur, quæ patibilis nominatur, ad naturam intuens, & ad eas res, in quibus natura illa inest, & comparat hæc inter se, uidetq; in natura sic cognita, inesse aptitudinem, ut possit prædicari de illis, atq; ita afferri, ut uerum sit dicere homo de Socrate affertur; nam Socrates homo est. ideo iam uniuersale ipsum cõstituit, & naturam illam sic cognitam, & comparatam uniuersalem uocat, ex ea aptitudine, quam cõsiderauerat cõparando eam iis, in quibus inest. incipiens igitur ab ea aptitudine, quæ est in natura mente percepta, & desinens conferendo ad ea, in quibus natura illa inest, uniuersalis intentionem informat: quare iã patet quomodo res uniuersalis efficiatur, & quãdo est uniuersalis uocanda. ex iis etiam colligere possumus, quot modis uniuersale accipiatur. Sed & hoc quoq; lucidius explicandum est. uniuersale igitur dupliciter ca-

pi potest, uel pro ea re, quæ uniuersalis dicitur. Verbi gratia pro natura mente percepta, uel pro forma illa, quæ illi naturæ ex comparatione accidit, quemadmodum si diceres, candidum modis duobus intelligitur, uel res, quæ candida est, ut paries, uel ipse candor, qui parietem dealbat. si ergo uniuersale intelligatur res, quæ uniuersalis nominatur, tunc duplex eius acceptio est. aut enim dicitur uniuersale omne illud, de quo per quandam denominationem uniuersale afferri potest, cuius propositæ, ac legitimæ acceptioni non repugnat esse in multis, siue indefinitum sit, siue quouis modo indeterminatum, hoc modo id, quod est, uniuersale dicitur. Aut pro ea re sumitur, de qua uniuersale afferri potest, cuius legitime acceptioni nõ repugnat esse in multis, modo illud sit præfinitum, ac terminatum, ut homo, albedo, & huiusmodi, ut mente concipiuntur. habent autẽ uniuersalia hoc modo sumpta relationem ad intelligentiam primam, quam actricem dicunt, nanq; ab ipsa efficiuntur, & sunt simplices eius radii, ac potestate proxima sunt, ut uniuersalia dicantur. hoc modo carent materia, sunt immobilia, incorruptibilia, & mẽtem potestatis mouent, & ad cognitionem excitant, & perficiunt; quemadmodũ color mouet uisum ad opus, iuxta lucis, quæ in ipso est, actum, cum scilicet actu co

lor est. de iis uniuersalibus sapientes pertractant, cum rerum solidarum disciplinas instruunt. Dialecticis uero alia cura est. cum uero uniuersale pro forma illa sumitur, & pro legitima significatione, ut potius uniuersitas, quemadmodum albedo uocari debeat, quàm uniuersale, quod innuit cōcretum quoddam. tum quoq; duplici modo accipitur. aut enim sumitur, ut est secunda notio, quæ alicui retributa est. quod in pluribus esse aptum natum sit, siue illud certo genere cōtineatur, seu genus omne transcendat; huiusmodi significatio respondet primæ acceptioni: sumitur etiam uniuersale pro secunda notione alicui certæ, ac definitæ naturæ attributa, quæ quãtum ad se attinet in pluribus reperiri potest, hoc modo est notio in pluribus reperta, hac ratione à Porphyrio consideratur. & hac lege dialecticorum iudicium subit, & ad cognitionem prædicabiliũ præcipue facit. ex iis habuimus uniuersale esse posteriorem notionem, & mentis quoddam opus per collationem effectum, naturæ alicui mente perceptæ ex ea aptitudine, quam habet, ut mente percipitur, attributum, quo natura illa ad multa cōparata in quibus inesse ostenditur, de illis afferri potest. habuimus etiam satis amplam supellectilem ad respondendũ ad eas quæstiones, quæ de uniuersali dicuntur, & præsertim ad soluendas

eas,

eas, quæ Porphyrius affert: nam uniuersale si sumatur pro subiecto, id est pro natura illa, quæ uniuersalis nominatur, aut est subiectum remotũ, aut propinquum: si primo modo consideratur, est natura illa absolute in se accepta, & sic est in re, & nulla mentis adhibitione, sed natura ipsa effectrice ponitur, nec habet potentiam propinquam, ut uniuersalis dicatur. licet non repugnet illi, ut aliquando uniuersalis actu feratur. si posteriori modo uniuersale accipias, hoc est pro re, quæ uniuersalis appellatur, & quæ sit eius stratum propinquius, & proximius: tunc est natura illa, ut mente percipitur; quæ nõ iccirco est uniuersalis, quia est in intelligentia, uel mente. licet uniuersale usq; in mente sit; sed ideo uniuersalis uocatur, quia est proximum fundamẽtum, super quo ratio uniuersalis astruatur. uniuersale igitur hoc modo sumptum est in mente, sed quoniam multis modis aliquid in mẽte dicitur esse, ideo uidendum est quo nam modo uniuersale hoc, de quo loquimur, in mente sit. an ut res obiecta intelligentiæ, an ut subiecta, uel potius tanquam res, quæ precise nullum esse habet, nisi ut ab intelligentia cõsideratur. his breuiter respondeo quod uniuersale id, quod præ manibus est nobis, id est proximum uniuersalis stratum, est in intelligentia, ut res obiecta; esse autẽ in intelligentia, ut res obie

cta nihil aliud est, nisi cognosci ab intelligentia. sunt autem in intelligentia, tanquam in re subiecta notiones ipsæ, & perceptiones, habitus, & species intelligibiles. sunt deniq; in intelligentia, quæ nullum aliud esse habent, quàm precise in re obiecta cognita, ut cognita est. quemadmodum sunt ipsæ secundæ notiones, & comparationes illæ, quas mens comparatione quadam conficit. cæterum uniuersale pro re, quæ uniuersalis denominatur, ut est proximum subiectum, dicitur iam uniuersale actu, & est obiecta res cognita, cõtraria indeterminatione indeterminata, secundum quam eadem obiecta res est in potẽtia proxima, ut de pluribus afferatur. cõtrariam indeterminationem uoco eam indeterminationem, quæ opposita est, indeterminationi, quæ fit per abnegationem, cuiusmodi eam esse diximus, quàm natura habet, ut natura est. nanq; hoc loco re ipsa indeterminata est natura, & unitas huius indeterminationis contraria est, quoniã positione ipsa ad multorum prædicationẽ indeterminata est. nihil uero proximam potestatem obtinet, ut de multis afferatur iuxta unitatem precisam, quam in re habet. ita ut dicatur hoc est hoc. sed hæc iam clara sunt. Alia q̃stio est, an uniuersalia sint corporea, an incorporea: solutionem huius allata distinctio præbet. uniuersalia pro fundamento proximo nõ

ſunt corporea, neq; incorporea: nanq; huiuſmodi per intelligentiam conformantur. ſed uniuerſalia pro fundamento remoto ſic ſe habẽt, ut quædam ſint corporea, quædam incorporea. omnis res quæ habet extenſionem corporea eſt. & dicitur actu corporea, quoniam tres habet actu dimẽſiones, uerum non extenſa res, ſed apta nata extenſionem habere, corporea quidem uocatur, at non actu, ſed habilitate. ex iis etiam tertia diſſolui quæſtio poteſt, utrum in ſingularibus uniuerſalia contineantur, an ab iis ſeiugata ſint. quoniã ſi proximũ illud ſolum (ut ita dicam) in quo ratio uniuerſalis innititur, attẽdatur: neq; in ſingularibus exiſtũt uniuerſalia, neq; ſunt ab iis ſeparata. Remotius autẽ fundamẽtũ, re ipſa quidẽ in ſingularibus eſt, idemq; ſecundum rem cum ſingularibus habetur, ex ſe tamen, ſuapteq; natura, neq; in iis, neq; extra reperitur. his ſtabilitis, & fixis, reſtat ut uideamus, quid interſit inter uniuerſale, & prædicabile, mox ut numerũ quæramus ipſorum uniuerſalium. Natura igitur mente percepta duos habet comparationis modos: alterum, quo reſpicit plura in quibus poteſt in eſſe: alterum, quo reſpicit plura de quibus afferri poteſt. ita ut uerũ ſit dicere priori modo ipſam in pluribus reperiri, ut hominem in Socrate, Biante, & poſteriori ipſam de pluribus afferri, ut hominẽ de So

crate, & Biante. quo fit, ut res eadé diuersis com- parationibus diuersas sortiatur appellationes. uni uersale igitur erit notio in pluribus reperta: præ- dicabile uero erit notio de pluribus allata. hinc etiam pari gradu, quemadmodũ uniuersale aliud circunscriptũ est, quod scilicet aliquo genere con tinetur, de quo mentio nobis est, aliquod uero transgrediens, quod supra omne genus colloca- tur, ita & prædicabile aliud erit definitum, aliud excedens. Atq; hæc hactenus de prædicabili, & uniuersali. Nunc de numero agẽdum est; quem- admodum igitur exquaq; re mens nostra, quod cõmune est, intelligendo abducit, ita ut ex singu lis hominibus humanam naturam, ex singulis ani malibus animalem, ex singulis corporibus corpo ratam, ita ex singulis notionibus cõmunem quan dam rationem abstrahit, & deducit, quæ ad singu las notiones pertineat. Verbi gratia ex hac indi- uidua (ut ita dicam) uniuersalis notione, quæ ex animali mente percepto, & cõparato seiungitur, & ex illa, quæ ex colore cognito, & collato seuo catur, item ex aliis, quæ singulis rebus perspectis, & compositis abducuntur, cõmunis quædam ra- tio fit, propter quam cognoscimus, omnibus iis, animali, colori, & aliis, cõmunitatis, & uniuersi- tatis rationem aptari. hæc igitur cõmunis ratio mentis opere perfecta, uniuersalem uniuersitatis

notionem facit, ita ut singulæ uniuersitatis notiones, ad hanc cõmunem tanquã genus referantur. & mehercule uniuersalis hæc uniuersitatis notio genus est ad omnes, ita ut nomen sit idem, & ratio singulis merito coaptanda. ea enim uis mentis est, ut non modo perceptis rebus aliquas tribuat notiones, sed etiam attributis notionibus alias insuper cõparationes, & habitudines superaddat, & quasi in infinitum superaddẽdo progrediatur. Hæc igitur uniuersalis notio, quæ ex pluribus uniuersalis notionibus collecta est: pro genere omniũ existimatur: quare formas quasdam sibi subiectas, & inter se differẽtes habebit, quæ hoc modo inuestigari possunt. Quemadmodum nihil est, aut homo, aut leo, aut aliqua species, quod non sit animal, ita notio nulla est, quæ sit uel genus, uel forma, uel differentia, uel propriũ, uel accidens, quæ non sit prædicabilis, uel uniuersalis. Quoniam quicquid mente percipimus, cui notio uniuersalis, uel prædicabilis attribuitur, id omne ita est affectum, ut illi, uel generis, uel formæ, uel differẽtiæ, uel proprii, uel accidentis notio tribuatur. nam quicquid affertur de altero, id omne affertur, uel cũ quid, uel cum qualis sit res quæritur. nullus enim alius modus est, quo quicquam de altero afferri queat. cum ergo quid sit res quæritur, nihil aliud quæritur, nisi rei subie-

ctæ natura ex ea parte, quatenus subsistit, sed quo niam uel natura uniuersa quæritur, uel pars eius, ideo priori modo species: posteriori modo ge nus efficietur: nam nihil est in natura, & essentia, (ut ita dicam) indiuidui, quod non sit in natura, & essentia speciei. ut clarius ostendetur: quare species uniuersam rei subiectæ naturam declarat. genus uero partem; quoniam præter genus, aliæ sunt partes, quæ subiectam constituunt rem: atq; hæc duo sunt uniuersalia, quæ ad eã interrogatio nem feruntur, qua quid res est, quæritur, ex ea parte quatenus subsistit, quomodo autem id fiat, in pertractandis singulis ostendetur. cum igitur quæritur quid sit res, aut speciem, aut genus ad duci necesse est. Cũ uero qualis sit, interrogamur, quoniam hoc multiplex, & uarium habetur, ideo distinguendum est: quæritur ergo qualis sit res, ab eo, qui scire appetit, quomodo res quæq; deno minetur. Quoniam uero res quæq; denominatur, aut ab iis, quæ in eius natura posita sunt, aut ab iis, quæ attribuuntur, uel adueniunt illi, ideo pri mum differentia apparebit, quæ affertur, cũ qua lis sit natura res quæritur: deinde accidens. quo niam uero accidens, uel in re positum est, uel ex tra sumitur, ideo duplex erit accidens, alterũ uo cari proprium libet: alterum commune. proprium uoco id, quod in re positum est, & ab iisdem prin

cipiis est profectum, a quibus res ipsa orta est: cõmune appello, quod aliunde uenit. cum igitur nihil in præteritis relictum sit, quod ad rationem prædicandi alterum de altero pertineat, necessario sequitur, ut nõ plura sint uniuersalia quã, quæ numerauimus, genus, speciem, differẽtiam, proprium, accidens. nullus enim alius modus est, quo quicquam prædicari de altero queat. quomodo uero formentur: quaq; comparatione efficiantur, qui'ue termini, quæ habitudines, quæ discrimina, & quæ conspirationes deniq; horum habeantur, suis quæq; locis inferius ostendetnr.

De genere.

Quoniam sapientis est nihil aggredi, quod ratio legitima non præcedat; cumq; omnia, quæ recte aguntur, imitatione naturæ agãtur, quæ nihil efficit, quod uacare ordine censeatur; quinimmo proprius rerum, quæ sensu percipiuntur, ordo est natura ipsa, ita, ut quicquid absq; ordine factum suspicari potest, id docti omnes præter naturam fateantur esse: necesse est igitur, ut nos quoq; in interpretandis auctoribus ordinem sequamur: & quemadmodum qui legitime scribũt, optime res instituunt suas, ita nos eos sequentes, ex ipso rerum ordine in memoriam notam, & æqualem pul

cherrimarum rerum deueniamus : quod egregie fiet, si dicta dicendis congrue coniūcta, annexaq; uidebuntur. Dictum est igitur de uniuersali, primo quot modis accipi soleat, deinde quomodo efficiatur id, quo de agitur in dialecticis : tertio qua conditione se habeat ad genus, formam, differens, propriū, & adiectum : post quid sit, quoue interstitio à prædicabili seiūgatur. Reliquum est, ut Porphyrium sequentes de genere pertractemus, siquidem naturæ ordo, & generis ambitus, ita postulant, ut prius, quàm de reliquis uniuersalibus specie, differētia, proprio, accidentiq; pertractemus, de ipso genere agatur: iccirco quia illud est naturæ ordine præponendum eadem in re, quod est potestate, ei rei, quæ actu est : atqui genus secundum quandam incohationis potestatem de iis affertur, quæ illi subiiciuntur: quæ uero sequuntur uniuersalia, ut differentia, & forma, non incohationem, sed actum, & perfectionem indicant, & hoc inferius ostendetur. patet igitur quod naturæ ordine genus est reliquis uniuersalibus anteferendum: natura enim ab imperfectioribus aggrediens eò usq; gignendo laborat, quousq; absolutum, & perfectum sit opus : quod sapiētem maxime decet animaduertere, ut tum scribendo, tum efficiendo aliquid naturam imitetur. cum uero ex uniuersalibus nōnulla uim, & natu-

ram

ram significent, ut genus, forma, differens : quædam uero, quæ naturam, & substantiam consequũtur, ut accidens, & adiectum, iure præcipuus locus debetur iis, quæ naturã, & substantiam declarant; quapropter genus, differens, & forma prius exigentur, quàm proprium, & adiectum. uerum enimuero quia maioris ambitus est genus, quàm differens, & forma. hæc enim sequuntur res illas, quibus attribuuntur, iccirco iis merito præfertur. at differentia formam præcedit, quoniam principium formæ est differentia ipsa, principium autem iure antefertur ei rei, cuius est principium. sed si de ordine proprii, & accidentis controuersia sit: contemplator, illud uniuersale præferendum esse, quod ex ipsa rei subiectæ natura, eiusq; primordiis emanat, cuiusmodi est propriũ; illi, quod indeterminate, ac inconstanter singulare consequitur, ut adiectum. ex iis facilis, & expedita ratio est, cur de genere prius, quàm de differentia: de differentia, quàm de specie: de specie, quàm de proprio: de proprio, quàm de adiecto auctor ipse pertractauerit. Præceptum est, ut res, qua de agitur, ubi cõstiterit eam esse, statim definitione explicetur, siquid uero incidat, quod eodem, uocabulo diuersas naturas innuat, quemadmodum pes, gallus, canis, & huiusmodi, quorum acceptio multiplex haberi solet, ne in controuer

ſias inanes, & ridiculas incidamus, oportet eius uocis, quæ plura ſignificet, diſtinctam, & explicatam habere rationem, & omiſſis aliis ſignificatis, id tantum aſciſcere, quod in rem noſtram facit, hoc peripatetici cum aliis eruditis affirmant. Similis ſententia eſt in topicis, in elenchis, & in libris de cœlo. quæ res in diſceptando, & in ſcribendo maxime obſeruanda eſt. nam ſecus agentem multa temere dicta, pleraq; fallacia, & mendoſa ſequentur, ipſa quoq; orationis cõmunio ab hominum congreſſu, & concilio auferetur: nam ſi dixeris, aduentu canis morbos excitari, nonne ridiculum foret, ſi quis hoc negaret? ac de cane, uel terreſtri, uel maritimo intelligeret. tu uero æſtiferum ſydus audires? Præterea cum homines inter ſe cõmunicare animi cogitata ſermone ſoleant (nam inferiores naturæ, ut brutta nõ poſſunt. ſuperiores uero non indigent) nõne quæſo uagari oratio cogetur, ſi qui diſſentiunt inter ſe, non idem eſſe illud de quo agitur, intelligent? Porphyrius ergo cum non poſſet quamprimum afferre diffinitionem generis, propterea quod eadem uox ad res diuerſas accõmodari poteſt, diſtincte generis acceptiones declarat, & eam, de qua intentio eſt, in medium adducit. uerum non omnia ſignificata generis affert, ſed ea, quæ ad ſuſcepti muneris explicationem magis attinere ui-

dentur,tum ut ad eorū ſimilitudinem genus hoc, de quo agitur, dici oſtendat: tum etiam ne deceptio fiat.in iis enim decipimur,in quibus ineſt ſimilitudo , propterea quia quod ſimile eſt , idem cui ſimile eſt , uideri ſolet , cum tamen non ſit re ipſa idem. Maxima uero pars uocum,quæ à dialecticis uſurpantur, ob euidentiam rerum,quæ ſuapte natura obſcuræ,& reconditæ habētur,ab aliis rebus tranſlatæ ſunt . terminus , definitio , faſtigium, medium, figura, locus , dignitas, κατηγορία, & reliquæ huiuſcemodi uoces . tranſlatio enim , & uariam,iucundamq; orationem facit , & res ante oculos mirum in modum ponit.Porphyrius itaq; omittit grāmaticorum genus , & illud phyſicorum ſubiectum , quod materies appellatur . & illa etiam Platonis genera præterit . ſubſtantiā, idem,diuerſum, motionem, & quietem ; ſed ea tantum quæ ad ſuſceptum negotium ſpectant, amplectitur ; & à notioribus eius uocis acceptionibus incipiens, & exponēs, alta, & recondita rerum, quemadmodum ſapientes, qui illum præceſſere, explicare uoluit, modeſte tamen ac temperanter . aggrediens hunc in modum. Videtur neq; genus , neq; ſpecies ſimpliciter dici. Id eſt ſiquis recte conſideret , inſpiciet , neq; genus, neq; ſpeciem uno modo dici,uerum eandem uocem res multas innuere, unde illud. Videtur.

Peripateticæ, modestæq; consuetudinis uerbum est, Græce dicitur ἔοικε, quod interdum simili-tudinem significat, nonnunquam idem est quod
» φαίνεται. Neq; genus neq; species. Præceptum est recte scribentium, quod cum res duæ inuicem referuntur, & comparantur, semper mentio de utrisq; simul est habenda. quoniam distincte unũ absq; altero dignosci non potest: cum igitur mu tua inter genus, & speciem comparatio sit, ad fa-ciliorem notitiam, hoc ipsum natura monente, si-mul ponuntur: nam licet antea differẽtiã speciei præferendam esse diximus, nõ tamen tanta re-ligione naturam sequi debemus, quin accõmode-mus nos interdum ad faciliorem docendi ratio-nem. simul igitur genus, & species, à Porphyrio ponuntur: quæ non uidentur simpliciter dici.
» Simpliciter. Quod Græce ἁπλῶς dicitur. in-terdum idem est, quod proprie, interdum idem, quod in uniuersum. nonnunquam innuit, ut con tingit, est uero cum uno modo referat: ut hoc in loco. cum igitur neq; genus, neq; species uno mo do dicãtur Porphyrius ne temere loqui, aut men tiri, uel uagare uideatur, hunc in modum genus
» dici declarat. Dicitur enim genus collectio ali-
» quorum quodammodo inuicem, & ad unum affe
» ctorum. Quemadmodum simpliciter prius est homo, quàm sit homo literis imbutus, uel philo-

ſophia excultus, ita hoc nomen genus à cõmuni,
& forenſi cõſuetudine uſurpatum eſt prius, quàm
cum ſapientum ſcolis affinitatem contraheret:
quare ab uſitatis eius acceptionibus ad propriũ,
& inſtitutum ſermonem philoſophorum conſen-
ſu tranſlatum eſt. prima igitur acceptio generis
eſt, ſecundum quàm genus ſumitur pro cœtu, &
cõcilio multorum, qui tum inter ſe habitudinem
quandam habent, tum ad unum principium quo-
dammodo afficiuntur. unde genus Romanorum
dicitur collectio illa ciuium, qui ad Romulum, à
quo orti ſunt, quodammodo affecti habentur.
propterea quod Romulus in uniuerſa illa colle-
ctione aliquid ſui habet, à quo etiam collectio il
la, & multitudo ciuium mutuo quodam uinculo
affecta eſt, nam ſemen propagationis à Romulo
poſteris diſperſum effecit, ut cœtus omnis Ro-
manorum aliquid cõmune haberet, per quod Ro
manorum genus ab Heraclidarum, uel Tantali-
darum genere diſtingueretur. & hæc eſt prima
generis acceptio, in qua illud maxime animaduer
tendum eſt, quod triplex inuenitur habitudo, &
comparatio: prima eſt, qua multitudo ad unum
principium comparatur. altera eſt, in qua unum
ad multitudinem refertur. tertia uero mutuam
multitudinis rationem habet. quæ res quoniam
utilis eſt ad cognoſcendam uim, & naturam dia-

lectici generis, ideo diligenter est consideranda. In omni comparatione multum refert dignosce- re à quo incipias, & in quod desinas: nam compa rationes diuersis uocantur modis, prout diuersa est ratio inceptionis, & finis. Quæ igitur ad rem nostram faciunt, tres sunt, una dicitur comparatio æquiperans, altera disparans, & hæc est duplex, aut exuperans, aut subiiciens. exempli gratia cõ- paratio æquiparans est illa, in qua non est maior ratio, cur eius fundamenta iaciãtur in hoc potius, quàm in illo: nam siue incipias ab una re, siue ab alia, & desinas in utramuis, eadem, & æqualis ra- tio reperietur. Verbi gratia comparo duos ami- cos, uel fratres inter se, in hac comparatione, siue incipiam ab uno, siue ab alio, non est maior ratio cur potius fundamentum iaciam istius compara- tionis in uno, quàm in altero. talis habitudo est ubi cõparatur multitudo illa Romanorum inter se. nam inæqualitas esse cõspicitur. cum uero ad unum comparatur multitudo illa, uel econtra: il la cõparatio disparans dici solet. non enim æqua- bilis ratio in utroq; inuenitur extremo, nam mul titudinis habitudo ad unum, dicitur subiiciens: nanq; ea fit, cum inferius comparatur ad id, quod superius est. unius uero ad multitudinem compa ratio est ea, quæ exuperans nominatur. non enim par fundamenti iaciendi ratio est, sed superius est

id, à quo incipis. inferius uero id, in quod desinis, quod est terminus illius cōparationis, & ad hūc modum absoluta est prima generis acceptio.
" secunda uero sic à Porphyrio declaratur. Dici-
" tur alio modo rursum genus. Genus uero dicitur principiū cuiuscūq; generationis, quod primū est, uel animatum, uel inanimum, & utrunq; uel propinquū, uel remotum. principium animatum est ille, qui genuit, inanimum uero est locus, in quo quis genitus est. principium animatum propinquum est pater. ut Hylum ab Hercule genus duxisse ferunt. remotum uero, ut Orestem dicimus genus duxisse à Tantalo. principium inanimum propinquū, ut cum dicitur Pindarum Thebanū genere: propterea quod Thebis natus est. principiū inanimum remotum, cum dicimus Platonem genere Atheniensem. antiquitus enim attica regio per uicos erat distributa, antequam ciuitas astrueretur. genus igitur secundo modo dicitur cuiuscunq; ortus initium siue sumatur à genitore, siue à patria in qua quis genitus est. dixi.
" A' genitore. Quoniam hoc nomen à genere nominatum uidetur. nam Græci quoq; γονέα genitorem dicunt, unde γονὴ, καὶ γένος sumptum est. genitricem quoq;, & parentem patriam dicere solemus: quare non immerito communis loquendi usus cuiuscūq; generationis initium genus uo-

cat. Non eſt autem prætereũdum, quod pater dicitur eſſe principium generationis, quoniam ſemen emittit, à quo fit multorum propagatio. ſemen autem nihil eſt aliud, quàm corpus imperfectum, à generante deciſum, ut aliud perfectius efficiatur, quod eius, qui genuit ſimilitudinem teneat. unde illud recte dictum eſt. homo hominẽ generat, planta uero plantam. Sed nunquid mater dicatur eſſe principium generationis quemadmodum pater, dubium eſt: peripatetici hoc fortaſſe negarent, dicentes matrẽ nihil ferre ad prolem ſuſcipiendam præter locum, & receptaculum, unde potius receptrix, quàm agẽs, formata, quàm formãs exiſtimatur, ſed pulcherrima quæſtio eſt dignitati, atq; auctoritati ſapientiæ relinquenda. illud uero pro tempore habendum eſt, quod ſi comparetur initium generationis ad id, quod genitum eſt, exuperans comparatio fiet, ſin autem genitum generanti, ſubiiciẽs habitudo emerget, nam genitũ generanti uidetur inferius. ſed quomodo locus eſt principiũ generationis? an quatenus eſt ſuperficies ambiẽs id, quod in loco eſt, an quatenus accipitur pro habitudine illa, quam ſuperficies ambiens habet ad id, quod circunſcribitur? atqui nulla ratione hoc fieri poteſt: non prima, quia ſic locus eſt, quantitas. At probatum eſt ab Ariſtotele quantitatem non agere: ſed nec

ſecunda,

ſecunda: quid enim mera comparatio efficiet? Quid igitur cēſendum? nempe quod ſuperficies qualitatibus affecta iuxta doctorum ſententiam, principiũ eſt generationis. qualitates enim tum ſuapte natura afficiunt corpora; tum celeſti uirtute adiuuantur, cum autem res proprium, ac legitimum locum ſortita eſt, tunc maxime conſeruatur. ea enim uis locorum eſt, ut quæ in iis natura continentur informari, & conſeruari ſoleant: elementa proprias occupant ſedes, naturamq; in iis integram tenent: ignis ad lunam fertur: terra ad perpendiculum deorſum ruit: medias regiones aer, & aqua poſſident: animalia, plantæ, metalla, & omnia demum, ſuis in locis quietem, incolumitatem, & perpetuitatem, quantum fieri poteſt, conſequuntur: ſed mutato ſolo imbecilla, & perturbata redduntur, nam res eo in loco conſeruantur, ubi propinquius habēt principium, à quo fluxere, quo fit ut tempus interitus, & diſſipationis cauſa ſit; quippe quia à ſuis rem quamq; initiis diſtrahat, & diſpellat. Etenim patria eſt principium quemadmodũ pater. Nam pater eſt principium efficiēs, & à quo: item patria: diſcrimen autem eſt in modo: modi cauſarum ſunt plures per ſe, per accidens, & huiuſmodi, unde pater eſt principium generationis, & cauſa efficiēs per ſe. locus autem per adnexum. nã locus ratione qua

litatum, & celestis uirtutis, initium ortus est. im mutatur enim celi facies mutato finiēte, qui Græce ὁρίζον dicitur. ex iis quæ dicta sunt, satis innotuit quot modis usurpatur genus iuxta consuetudinem. Quod si cōparentur inter se duo hæc generis significata, cum superius dictum genus mutuet ab hoc inferiori aliquid, ut dicetur, rationi consentaneum est, ut posterius hoc significatum magis in promptu sit, & expeditius ad declarandum genus dialecticorum. iccirco Porphyrius.
» Hoc autem (inquit) id est hoc ultimum, & pro
» ximum, generis significatum in promptu uidetur
» esse, ratio, Heraclidarum enim genus dicuntur
» ii, qui ab Hercule deducti sunt, & cecropidæ, à
» Cecrope, & horum proximi, & prius, id est per
» prius. Dictum est genus cuiuscunq; ortus initiū,
» posterius uero, id est per posterius, & multitudo,
» quæ ab uno primo defluxit. Cuius signum est.
» Quam determinantes, & ab aliis separantes uni
» uersam Heraclidarum collectionem genus uoca
» bamus. Et ita absolutæ sunt duæ generis acceptiones, ex quarum similitudine sumptū est dialecticorum genus.
» Aliter autem rursum genus
» dicitur, cui substernitur forma, ad dictorum for
» tasse similitudinem. Id est, tertia generis acceptio est philosophorū propria, cum genus id sit, cui forma subiecta est. Naturam generis de quo

ratiocinatores agunt, explicare uolentibus illud obuiam fit, quod opus est prius diligenter inspi cere, qua ratione genus efficiatur, quotq; modis à philosophis accipi soleat. & postea quid sit. & sic erit absolutum totius generis negotium. sed illud est animaduertendum prius, quod in expli- catione omnium quinq; uocum, opus est uidere qua comparatione quæq; uniuersalis dicatur: & postea qua cōditione quæq; suum teneat nomen. quod licet aliàs quoq; sit explicatum, quoniã ta- men id memoriam maxime postulat, ideo repe- tendum esse iudicauimus. Omnis notio secunda, ut dictum est, fit opere intelligẽtiæ nostræ com- parantis res primæ notionis inter se, quatenus co- gnitione cōprehensæ sunt. ita enim habent quas- dam aptitudines, ut rebus primæ notionis com- parari queant. mens igitur nostra comparat, & ex diuersa comparatione, diuersæ quoq; notiones emergunt, quæ secundæ, & posteriores notiones uocantur. uideamus ergo ex qua cōparatione ge nus uniuersale dicatur, & ex qua genus dicatur genus. cum igitur uniuersale sit notio in pluribus reperta, si genus futurum sit uniuersale, opus est, ut ratiōis huius particeps habeatur: scilicet quod sit notio in pluribus reperta. accipio ergo animal, hominem, leonemq; prout mente cōprehendun- tur, certum est, quod animal (ut cognitum) apti-

tudinem quandam habet, qua de homine, & leo-
ne afferri, & in omnibus esse possit. hæc aptitudo
perinde ac stratum, & fundamentum est in quo
nititur hæc notio secũda, quæ dicitur uniuersale:
nam cum intellectus comparauerit animal ad ho
minem, & leonem, statim fiet id, quod tantũ non
erat, sed tamen fieri poterat, id est uniuersale: nã
si cõparatio incipiat ab animali cognitione com-
prehenso, desinatq; ad hominem, & leonem co-
gnitione comprehensis, quæ sunt primæ notio-
nes, certum est quod facta comparatione, & susce
pta, de homine, & leone, animal ita prædicabitur,
ut semper uerum sit dicere, homo est animal, leo
est animal, semperq; animalis notio in leone, &
homine reperietur, & animal uniuersale dicetur.
Quod si rursus animal comparetur ad hominem,
& leonem, uidebitur animal esse superius aptum
de utroq; per se afferri, quorum alterum differat
specie, & natura ab altero: huic habitudini, quæ
ex hac comparatione in mente resultat, ubi susce
pta in intelligentia fuerit, nomen generis impo-
netur. quod si ab homine, uel leone cognito inci
pias, & ad animal comparando desinas, illico ui-
debis hominem cognitum, uel leonem, aptitudi-
nem habere ad animal, ut sub eo collocetur, & di
ces, cum homo ponatur sub animali directe, & si-
ne medio, & animal de homine prædicetur impo

namus nomen huic habitudini iam receptæ intelligentia, & uocemus illam speciem, & ad hũc modum quare genus dicatur uniuersale, & quare dicatur genus, explicatum est. item uidimus quare species dicatur species. sed qua ratione dicatur uniuersale suo loco uidendum est. Genus igitur est cui subiicitur species directe quidem, & continenter: directe, ad interstitiũ differentiæ, quæ à latere collocatur. continenter, ad discrimen indiuidui, quod nõ statim sub genere ponitur. species igitur est quæ directe, & absq; medio sub genere ordinatur. unde egregie notitia generis habetur, cum per id, ad quod habet comparari, explicari contingat. & hoc modo sumpto genere, similitudo cum primis eius acceptionibus apparet. unde auctor noster.
» Ad horum forte simili-
» tudinem. Forte, quia non idem sunt, sed similia.
» Quippe cũ genus principium eorum sit, quæ sub
» ipso ponuntur, uidetur uniuersam multitudinem
» quæ sub ipso est continere. Conuenit enim cum prima generis acceptione, quia genus primo modo collectionem dicit multorũ, & ad se inuicem, & ad unum principium affectorum; sic genus dicit collectionem specierum, quæ sub ipso continentur. multæ enim species sub uno genere ponũtur. Verbi gratia sub animali, homo, leo, aquila, quæ species tum inter se comparantur, tum ad

unum, ſub quo cadunt, genere referuntur. unde genus hoc conuenit cũ ſecunda generis acceptione, quia genus hoc modo principium eorum eſt, quæ ſub ipſo ponuntur perinde, ac qui ab aliquo geniti ſunt: genus enim eſt principium ſecũdum ſubſtantiam ſpecierũ, quæ in eo, tanquam in proprio domicilio conſeruantur. nam quemadmodũ res in loco propriꝗ geniturę incolumis eſt. ita ſpecies in genere uelut in propria ſede ſeruatur. & totidem comparationes erunt in genere hoc dialectico, quot ſunt in ciuili. Quomodo autẽ genus dicatur initium ſpecierum infra oſtendetur, nunc ad Porphyriũ. » Cum igitur triplici modo, genus » dicatur, de tertio ſermo eſt apud philoſophos. Diſtinctis generis acceptionibus, quod primo faciendum erat: exequitur ſecundum, ſcilicet proprium generis ſignificatum ponit, de quo dialectici tractãt. ita nihil temere dixiſſe uidetur, nec uagari oratio poterit: ſed quæſo quid aliud reſtat niſi tertium, quod eſt diffinitio generis? diffinit ergo genus hoc modo. » Quod etiam deſcribentes aſſignant, & dicunt genus eſt quod prædicatur de multis, & ſpecie differentibus in eo quod quid. » Conſtat genus eſſe habitudinem quandã, quoniam uero habitudo accidẽs eſt, accidens inquã notionis, & rationis: certe inerit alicui modo quodam, hinc genus, ut accidentia reliqua tria

significabit quemadmodũ dictum est de uniuersali. primum sumetur pro habitudine illa. secundum pro strato, & fundaméto illius. tertium pro conflato ex habitudine, & fundamento. Quæritur ergo quid hoc in loco diffiniatur? certum est quod fundamentum non diffinitur: quoniam naturæ cõmunes (ut dictum est) a philosophis non à dialecticis diffiniuntur. sed nec ex habitudine, & fundamento cõflatum diffinitur: ens enim per accidens qua ratione huiusmodi est, minime diffinitur, nec propterea scitur. Restat ergo quod hoc in loco ipsa notio diffiniatur. arguméto sunt ea, quæ in diffinitione ponũtur, quæ secundæ notioni conueniunt, ut prædicari de pluribus, & huiusmodi, quæ rebus minime cõueniunt per se, uerum attributione mentis humanæ. prædicari ergo secundæ notioni per se: primæ uero per accidens, attributum est. idem autem est prædicari in secunda notione, quod esse in prima, ut animal prædicatur de homine. & homo est animal. Diffinitur ergo hoc loco habitudo illa, quæ métis opere instruitur conferendo aliquod cõmune obiectum cognitione comprehensum, utputa animal, quod per oppositas differentias. Verbi gratia ratione utens, & ratione carens, diuidi aptum est, ad alias naturas cognitione comprehensas, ut hominem, & leonem, quæ suapte natura illi obiecto

communi inferiores sunt, in quibus illud obie-ctum secundum suam substantiam continetur, & de quibus illud ipsum prædicatur in primo modo dicendi eius, quod est per se, hoc est continetur in earum diffinitione, nam in diffinitione hominis, uel leonis animal, tãquam propria pars collocatur, ut homo est animal, leo est animal. ex his patet quid nam diffiniatur ab auctore. Nunc uidendum est quomodo? ut etiam scribendi præcepta, cum rerum notitia cõiungantur. Diffinitionum plura sunt genera, quædam integre, omniq; ex parte rei, quæ diffinitur, naturam, & substantiam declarant, qua habita mens acquiescit. quædam uero additamentum quoddam requirunt, ut plenius, atq; uberius rei natura, & uis explicetur. Diffinitiones illæ, quæ integre, sincereq; rei naturam ostendunt, ex iis constant particulis, quæ sunt de rei substãtia, nec ulla est, quæ rei rationẽ, & uim nõ declaret: huiusmodi sunt diffinitiones substantium per se rerum. at illæ, quæ appendiculum, & additamentum postulant, sunt illæ, quæ licet ex iis constent, quæ rei naturam explicant, quemadmodum priores illæ, ex genere, & differentia: non tamen acquiescit animus, nisi quippiam addatur ulterius. hisce modis diffiniuntur attributa rerum, siue ea sint absoluta, siue aliud respiciẽtia, in quibus semper additur aliud quip-

piam

piam, quod sit ab eorum substantia diuersum, ut subiectum in absolutis, terminus in comparatis. cum igitur genus accidens sit, & ita accidens, ut ad aliud comparetur. cōparatur enim ad speciem, cuius est genus: continuo sequitur, ut eius diffinitio sit ex numero earum, quæ per additionem efficiuntur. additur enim terminus, dum dicitur.
» Specie differentibus. Vt declarabitur: his habitus explicanda est generis diffinitio. Sed quoniā in diffinitionibus efficiendis, aliqua sunt obseruāda, iccirco nequid desideretur, hoc etiam dicendum est, quod diffinitio est oratio, quæ quod est esse rei declarat: hanc constare ex genere, & differētia debere præceptum est tum in libris de demonstratione, tum in libris de locis dialecticis: ordine uero quodam incedendum est, & seligenda gradatim sunt ea, quæ per se adsunt: nam semper id, quod differre facit, si addatur generi diuiso, genus integrum reddit: diffinitio præterea cuius est necessario, & soli inest: necessario: quia quæcunq; in diffinitione sunt, in substantia prædicantur, & quæ in substantia prædicātur, uniuersalia, & necessaria sint oportet: soli: nā da non soli; erit ergo genus, & inerit pluribus: sed quæso quibus nam diffinitio inerit hominis, quæ non sit hominis? his stabilitis, & fixis, auctor diffinit genus, & ita diffinit, ut ipsum distinguat

ab aliis uniuersalibus, & gradatim incedit, quo-
usq; ultimum differẽs apponat, ubi mirum uide-
tur, quod secundæ notiones inuicem denominãt
se. licet enim dicere uniuersale est genus ad quin-
que uoces, & genus est species uniuersalis: unde
cum dicitur genus est quod prædicatur de pluri-
bus: æque est, ac si dicas, genus est uniuersale. po
nitur enim diffinitio uniuersalis, loco ipsius uni-
uersalis: nec absurdum est: quod etiam Hermoge
nes, dum uellet dicendi artem, quæ rhetorice ap-
pellatur, diffinire, generis diffinitionem, non ge
nus rhetorices posuit. ars enim est genus ipsius
rhetorices. uerum Hermogenes artis diffinitio-
nem posuisse malluit, quæ huiusmodi est. ars est
cõstitutio ex multis animi perceptionibus ad ali
quem finem uitæ utilem spectans. sed hæc tu ibi
in principio statim. Genus igitur est quod prædi
catur in quid de pluribus, quæ plura specie diffe-
runt. Cicero in topicis ex præcepto sapientum.
» Sic igitur, inquit, ueteres præcipiunt, cum sum-
» pseris ea, quæ sunt ei rei, quã diffinire uelis, cum
» aliis cõmunia, usq; eò persequi, dum proprium ef-
» ficiatur, quod nullam in aliã rem trãsferri possit.
Exẽpli gratia cum dicitur genus est uniuersale,
cõmune adhuc, etenim differẽtia, proprium, for
ma, & annexum, uniuersalia sunt. adde quod se-
quitur, quod prædicatur in quid. nõdum est dif-

finitio. species enim est uniuersale, quod prædicatur in quid. unum adde uerbum: differentibus specie. iam à cõmunitate res disiuncta uidebitur, & suis terminis quasi cancellis circunscriptum genus erit. Nam cum uocum quædam significent, quædam uero non significent: genus disiungitur ab iis, quæ non significant, quia prædicatur: quomodo autem prædicaretur, nisi significaret? cum uero significantium uocum nõnullæ de uno tantum, nõnullæ de pluribus afferri soleant. ab iis, quæ de uno afferuntur, separatur genus, quia de pluribus affertur, ab iis autem, quæ de pluribus, & primo à differentia distinguitur, quoniam genus in quid prædicatur. interroganti enim quid est res, genus eius afferimus, ut quid est homo? animal. quid est leo? animal. quid est nigredo? color. superficies? magnitudo. sed differẽtia affertur, cum poscitur qualis est res. similiter de proprio, & annexo dicendum est. à specie autem discriminatur genus: quoniam genus affertur de iis, quæ inter se specie differunt, at species affertur de iis, quæ materia, & numero tantum disiuncta sunt. his habitis omnia recte scribendi præcepta obseruata sunt à Porphyrio: nunc particulæ diffinitionis explicentur. Genus igitur est illud
" uniuersale, quod prædicatur. Prædicari. Significat aptitudinem: quoniam genus non prædica-

tur actu, nisi collatione facta, & mente percepta;
illa igitur notio quæ genus appellatur, apta est
fundari in quadam natura sic prædicabili: & hoc
loco prædicari tanquam genus in hac diffinitio-
ne collocatur. In quid. Ponitur hæc particula
differentiæ loco. per eam siquidem disiũgitur ge
nus ab iis, quæ in quale prædicãtur. omne autem
superius, quod & nomine, & substantia est in infe
riori, prædicatur in quid, & per modum essentiæ,
& secundum essentiam. quod, ut declaretur, scien
dum est, quod cum uniuersale sit genus, quemad-
modum dixi, descẽdit in species per has differen
tias, uel modos, id est per prædicari in quid, uel
per prædicari in quale: nam si uniuersali aduenit
hæc differentia, scilicet prædicari in quid. fit ge-
nus, uel species: quæ si comparentur ad uniuersa-
le, species eius habentur. & cum sint species uni-
uersalis prædicãtur de pluribus numero differen
tibus: genus de hoc uel illo genere: species de
hac, uel illa specie: differentia de hac, uel illa dif-
ferentia: & sic de reliquis dicendum, quatenus ha
bitudinem dicunt. sed cõsiderare naturam secun
darum notionum in se debet philosophus nõ dia
lecticus. nunc ea ratione considerantur. ut sunt
modi, sub quibus res primæ notionis intelligun-
tur. Res omnes, quæ in uniuersitate reperiuntur,
quæ scilicet compositæ sunt, cõtinent secundum

eſſentiam earum duo, quorum alterum materiæ
uicem præbet: alterum formæ, & ita continent,
ut ſi quemadmodum cõpoſita ſunt, ita percipian⁄
tur, confuſa quadam ratione primo intelligũtur.
nobis enim primo fit obuia ſpeciei confuſa noti⁄
tia. quod ſi diſtinctius ipſam dignoſcere uelimus
(hanc enim uim mentis eſſe cõſtat, ut confuſa di⁄
ſtinguat, & cõiuncta ſeiungat) certum eſt, quod
animaduertemus in compoſitione illa, genus, id
eſt generis fundamentum, materiæ uicem præbe⁄
re: differẽtiam uero formæ: nam quemadmodum
materies cõtinet formas poteſtate, ita genus dif⁄
ferentiam poteſtate complectitur, quæ poteſtas
differentiæ aduentu contrahitur, & ſpeciem cõſti
tuit, ſicuti eſt: atq; ita diſtincte ſpeciei cuiuſcunq;
initia cognoſcimus, & duas eius partes apprehen⁄
demus, unam, quæ poteſtate erit ad alteram: alte
ram, quæ illam poteſtatem contrahat: hoc autem
modo ſeorſum utranq; partem cõſiderãtes uide⁄
bimus genus, & differentiam diſtincte, & deter⁄
minate duas ſpeciei partes eſſentiales innuere: ue
runtamen quia utrunq; illorum eſt concretum, &
unitum, & omne cõcretum duo innuit, primum
propriã ſignificationem, quemadmodum album
primo albedinem innuit, poſtea id, in quo ineſt
albedo. & hoc in accidentibus. ſed animal primo
ſentientem animam innuit, ſecundo ſubiectum in

quo inest. & hoc in substantia. ut igitur non licet dicere sic: Socrates est caluities, uel albedo: ita non licet dicere: homo est mortalitas, uel anima sentiens, nanq; anima est pars, pars autem nõ affertur de toto. animal uero innuit tum sentiẽtem animam, tum etiam modum, quo inest anima sentiens in homine, id est modum totius, & cõcreti. & hac ratione recte affertur animal de homine, & genus prædicatur de specie. quare statuenda est regula hæc, quod abstractum, ut cãdor, uel anima sentiens, & cõcretum, ut cãdens, & animal, tam in substantia, quàm in accidente, idem significant, non eodem modo: quoniam animal, sentiens'q; anima idem significat, sed sentiens anima seiunctum quid, & sincerum innuit, animal uero cõnexum, & permixtum: unde primum partem tantum, secundum uero partem per modum totius affert. genus ergo nõ propterea quod essentiam innuit prædicatur, sed propter modum significandi, & innuendi. quod si genus, & differentia comparẽtur ad speciem certum est, quod tam genus, quàm differentia erunt principia speciem efficiẽtia. si uero genus ad differẽtiam comparabitur genus cuidam materiei simile uidebitur differentia uero formæ. ex iis uidere possumus quantum notitia generis momẽtum afferat ad diffinitiones cõstruendas. ut Porphyrius in procœmio

tetigit, cum diffinitio cõstet ex genere, & differẽtia. genus autẽ in diffinitione se habet, ut pars ea compositæ rei, quæ materies nominatur. differẽtia uero tanquam ea, quæ forma dicitur. utrunq; tamẽ se habet per modum totius. totum enim est cui nihil deest, quod ad esse cõferat: sic, de natura animalis nihil deest in homine. nõ enim præcise est natura illa in homine: quoniam est, & natura differentiæ. quomodo autem differẽtia sit principium speciei, & quomodo genus, cum de differẽtia pertractabitur, exequemur, sed nos ad rem. Genus igitur prædicatur in quid, de pluribus, & differẽtibus specie. Reprehendunt nõnulli hanc diffinitionem, dicẽtes in ea fieri nugationem. nugatio est cum temere aliquid repetitur, ita hoc in loco. ubi enim differentia est, ibi necessario multitudo est. cum ergo uerbum plures, multitudinem quodãmodo innuat, pariq; forma uerbum differens, nugari auctor uidetur, hæc obiectio.
„ Respondent, quod illud. Et. Quod in genere diffiniẽdo collocatur, sumitur loco huius particu
„ læ. Id est. Nam cum uerbum. Plures cõmunius
„ sit, uerbum uero. Differẽs. Pressius, iccirco ad cõtrahendam illam cõmunitatem additio illa est adiecta, æque, ac si diceremus colorem, & albedinem, id est color qui est albedo. & hoc modo nugatio non est. aliquis enim est repetitionis usus.

Genus ergo prædicatur de pluribus speciebus differentibus. ex qua re innuitur genus non esse cōtentum unica specie. secūdum quod dicit aptitudinem ad prædicandum: nam cum per differentias contrahatur oppositas, per quas ad efficiendam speciem promouetur, de duabus saltem speciebus afferatur oportet: omnes ergo res primæ notionis, quibus notio generis applicari potest, ut animal, color, figura, planta, & huiusmodi mente percepta, licet inter se diuersissimæ sint: omnibus tamen iuxta unam, eandemq; rationem similiter in hoc se habent, quod illis per intelligentiam nostrā notio generis applicari potest. prædicari ergo in quid conuenit omnibus iuxta unam rationem quæ ἀναλογία Græce, cōparatio proportio'ue Latine uocatur. licet ea, in quibus huiusmodi firmatur habitudo, diuersissimis generibus contineātur. Genus igitur est uniuersale fundatum in quadam cōmuni natura, quæ prædicari apta est de pluribus speciebus differentibus. sed

» quādo dicitur. Prædicari. Dicit habitudinem, sic intelligo, quod prædicatum habet habitudinē

» ad subiectum. Specie. In hac diffinitione species ponitur pro strato huius notionis, quæ species appellatur. Verbi gratia pro homine, & est mens illius habitudinis, quæ est genus: & hoc recte factum est, nam supra uidimus diffinitionem

accidentis

accidentis tam absoluti, quàm comparati addi-tione perfici: nanq; accidens absolutum diffini-tur per subiectum: cõparatum uero per terminũ. & ita absoluta est generis diffinitio. cætera meo quidem iudicio facillima sunt: sed recte habet, ut breuis eorum, quæ dicta sunt, cõmemoratio fiat. Genus igitur est uox multis rebus eisdemq; di-uersis accõmodata, ex præcepto distinguenda. cũ uero genus essentiam rei declaret, merito præfer tur iis, quæ substantiam consequuntur. cum uero magis ambiat quàm uniuersalia reliqua, ob id o-mnibus præfertur. Dicitur uero genus triplici-ter, primo collectio multorum, qui tum inter se, tum ad unum, à quo originem traxerunt, affecti sunt. secũdo dicitur genus initium cuiuscunq; or tus, uel ab eo, qui genuit: uel à loco, in quo quis genitus est: hæ duæ generis acceptiones à cõmu-ni usu desumptæ sunt. in prima est cõparatio æqui parans, dum multitudo inter se cõfertur. Est cõ-paratio disparans. subiectionis quidem, si multi-tudo ad unum cõferatur: exuperantiæ uero, si con tra fiet. in secunda uero est cõparatio disparans: subiectionis quidem, si genitum comparetur, uel generanti, uel patriæ. exuperantiæ uero, si cõtra fiet, hoc est si principium, uel animatum, uel ina-nimum, uel remotum, uel propinquum referatur ad ea, quorũ principia sunt. est uero utrunq; prin-

cipium efficiens : differũt in modo: pater per se: patria per annexum : ratione scilicet qualitatum, quibus affecta superficies, tanquam celestis uirtutis efficitur instrumentum: posterior hæc significatio magis in promptu est : ad horum uero similitudinem dialecticorum genus dicitur, cui directe, & sine medio substrata species est. directe quidem ad discrimen eorum, quæ à latere ponuntur, ut differentiæ. sine medio, ad discrimen indiuidui, quod sub genere quidem ponitur, sed speciei interuentu. dicitur enim genus per cõparationem ad speciem, & diffinitur ea diffinitione, qua accidentia cõparata diffiniuntur, per additamentum scilicet termini, habetq; genus tot habitudines ad speciem, & species ad genus, quot dixi, reperiri in supioribus generis acceptionibus. æquiperantem, disparantem, subiectionis, & exuperantiæ. habet etiam conuenientias, quoniam est principium suarum specierum : & est ueluti locus earum, & multa sub se habet: & diffinitur hoc mo-
» do. genus est quod prædicatur. Ad discrimẽ uo-
» cum non significantium. De pluribus, ad discri-
» men earum uocum, quæ de uno dicũtur. Et dif-
» ferentibus. Id est differentibus specie: ad discrimen speciei, quæ prædicatur de pluribus numero
» differentibus. In quid. Ad discrimen differentiæ, proprii, & cõmuniter accidentis, ut albedo,

,, quæ prædicatur de hac, uel illa albedine. Prædi
,, cari dicit aptitudinem. De pluribus, ponitur lo-
,, co generis, cætera uero loco differētiarum. Spe
,, cie. Quia in diffinitione accidentium compara-
torum ponitur terminus, & illud ſpecie, non in-
nuit ſecundam notionem, ſed fundamētum eius.
Genus uero ſi pro natura illa ſumatur, cui nititur
tanquã ſtrato, eſt principium eſſentiale, quo ſpe-
cies cognoſcitur, & eſt principium, quod ſpeciem
conſtituit in re: & innuit eandem rem ſub modo
indeterminato, quam ſpecies ſub modo determi
nato: in mente autem eſt principium ſecundum
rationem, quia rationis opus eſt efficere, ut alte-
rum de altero prædicetur. his habitis cum Por-
,, phyrio poſſumus recte dicere. Nihil igitur ex-
,, cedens, aut deficiēs habet dicta deſcriptio notio-
,, nis generis. Notionis, ἔννοια Græce dicitur id,
quod Cicero notionem uertit. ſic enim in Topi-
,, cis inquit. Genus eſt notio ad plures ſpecies per-
,, tinens forma eſt notio cuius differentia ad caput
,, generis quaſi ad fontem referri poteſt, notionem
,, appello, quod Græci, tum ἔννοιαν, tum πρόλη-
,, ψιν dicunt. Et hinc colligimus Porphyrium no
tionem diffiniuiſſe, & non ſtratum, neq; confla-
tum ex notione, & ſtrato, ſeu fundamento. dum
dixit nihil continere excedens, aut diminutum,
hanc notionis deſcriptionem, nam re uera nō eſt

pura, & ſincera diffinitio accidentium. ſed quidnam ſit indiuiduũ, quid prædicari in quale. quid differre numero, ſignificet, hoc inferius notum fiet: ſatis nunc ea ſint, quæ de genere attulimus, explicata.

De ſpecie.

De ordine ſpeciei dictum eſt ſuperius, nobis eundem Porphyrius explicabit: Quoniam uero nõ uno modo genus, & ſpeciem dici oſtenſum eſt; diſtinguendæ ſunt ſpeciei acceptiones, & præcipue illæ, quæ ſimiles habẽtur, per quas notio ſpeciei, qua de agitur, explicari poſſit. Nam de grammaticorum ſpecie, deq; ea, quæ obiecti cogniti ſimilitudo eſt, & de illa, quæ ſpecificam declarat naturam, nunc mentio non habetur: ſed eius eſt ſermo, quæ cõmuni, & ciuili conſuetudine uſurpatur. Dicitur enim primo modo forma cuiuſlibet, ſeu pulchritudo. unde formoſus idem quod ſpecioſus εὔμορφον enim Græci εὖ εἴδη, & ἄμορφον, δὶς εἴδη uocant, quoniam εἶδος dicitur μορφὴ, unde Euripidis carmen in Phœniſſis, ut aiũt, πρῶτον μὲν εἶδος, ἄξιον τυραννίδος, id eſt prima quidem ſpecies digna imperio, unde eſt dictũ à philoſophis corporis forma dignoſci animorum affectus, & corpori temperaturæ animam eſſe con-

formem, sæpeq; formosi ad uirtutem, & præclara facinora esse accliues uidetur: pulchritudo enim, & forma corporis internæ uirtutis est signum: nã propter animam corpus effectum est, non autem propter corpus anima: pulcher uero tunc dicitur aliquis, cum partium ordine congruo, & debitis earũ interuallis, corpus habet distinctũ, quodq; apta magnitudine constet, & ubiq; cõuenienti colore, tractisq; decentibus lineamentis conformetur: nã cum membra situm obtinent naturalem, suoq; loco sunt aures, oculi, nares, pariq; interstitio singula collocãtur, & modus accedit, qui debita proportione seruata magnitudinem conuenienter disponat, tunc pulchritudo inest, in quo hæc omnia reperiũtur. tres nasi in longum dispositi faciei longitudinem protrahunt: utriusq; auris semicirculi coniuncti circularem oris hiatum implet: similis est superciliorum ratio. par uero labii, nasi, aurisq; sit magnitudo, gemini orbes oculorum unum æquent oris hiatum, capita octo totius protensionem corporis complent, latitudinemq; parem in latus brachiorum extensio facit. quod si oculorum splendor, partium ordo, linearum tractus, & color aptus accedat, tunc qui hæc habuerit, dignus erit, cui summum credatur imperium: nempe dignitas corporis, interiorem animæ præstãtiam declarat. Communi ergo sermo-

nis uſu ſpecies pro forma capitur, unde felicitatis quoq; perfecta poſſeſſio ſine forma cõſequi haud recte poteſt. iocus enim in rebus turpiculis, & quaſi deformibus ponitur; unde motus, & ſtatus deformitas, auctoritati ſenatoriæ, & grauitati plurimum detrahit. Quod ſi adoleſcentes plures in ciuitate reperiãtur, in quibus forma, & ſpecies ſit liberalis: ſenes uero, qui figuram habeãt ad dignitatem accõmodatam, mirum in modum lætantur omnes, omniaq; ſibi facile de iis perſuadẽt, & fauſta, feliciaq; omnia precãtur. Forma igitur cuiuſq; ſpecies nominatur, ad hanc ſimilitudinem logici ſpeciem ſuam ſumpſere. nam cũ genus, ut dictum eſt, materiei uicem præbeat, unde acceſſione differentiæ quaſi pingitur, & informatur, recte ſpeciem uocamus eã rem, quæ ſic perfecta eſt, & abſoluta, ut miram pulchritudinem oſtendat. nã incohatio, & poteſtas illa generis abſoluitur. quã
» primũ ſpecies ipſa profertur. Species igitur alio
» modo dicitur, quæ ſub aſſignato genere colloca-
» tur. Porphyrius tris affert ſpeciei diffinitiones, quæ diuerſas cõparationes oſtendunt. nam ſi ſpecies ad genus comparabitur, recte hãc diffinitionem ad eã aptare poteris. ſpecies eſt quæ ſub conſtituto genere collocatur. & hanc cõparationem ſubiectionis eſſe cognoſces. quod ſi recurras, & genus ad ſpeciem referas, exuperantiæ reſpectum

uidebis, & hoc modo diffinies: species est, de qua genus affertur. Demum restat, ut speciem cõpares ad ea, quæ illi subiiciuntur. & ex hac cõparatione speciẽ uniuersitatis modum, ac rationem suscipere animaduertes. Species est, quæ de pluribus, & numero differentibus affertur. sed qui fieri potest, ut unius rei plures diffinitiones habeantur? res enim quælibet unam tantummodo naturam tenet, quam diffinitione unica explicare decet. quod si plures adducantur, uel superuacanea erit aliqua, uel idem per diuersas uoces afferri necesse est? an nullum sequitur incõmodum, si unius accidentis cõparati plures diffinitiones habeantur? quæ res in absolutis, uel in substantiis esse non potest. nam cõparatorum plures termini esse possunt, ex quorum diuersitate uariæ diffinitiones exhibentur. est uero quod animaduertas inter cõparatorum diffinitiones, unam esse, quæ primo, & per se naturæ cõpetat; alias uero per se, non autem primo cõgruere: nam licet intelligentia nostra cohiberi nequeat, quin leui occasione rem diuersis terminis cõparet, prout diuersæ in ea reperiuntur aptitudines, in ea inquam, ut mente, ac intelligentia percepta est, idem tamen ad plura, non est referendum, quibus secũdum propriã naturam conueniat, & non ratione alterius, quod in eo insit. Exempli gratia. species refertur ad ge

nus per ſe quidem, ac primo, id eſt per propriam naturam, ac legitimam rationem, qua ſpecies eſt. quemadmodum riſui aptum eſſe, primo & per ſe homini conuenit (ſpecies enim generis ſpecies eſt) refertur etiam, & comparatur ad indiuidua per ſe quidem, id eſt ratione cuiuſdam rei, quæ per eſſentiam in ea includitur, id eſt ratione uniuerſalis, ſed non primo, nam cum dico ſpeciem, non cõtinuo ſequitur, ut ad indiuidua referatur. non enim ex hoc ſpecies eſt ſpecies, quia comparatur ad indiuidua: ſed iccirco eſt ſpecies, quoniã refertur ad genus. homo enim quatenus ſpecies, quãprimum, & ſua ui ſub animali collocatur: quatenus autem uniuerſale ſingularia intuetur. nullum ergo incõmodum eſt eiuſdem rei, eo modo plures eſſe diffinitiones. Species igitur eſt quæ ponitur ſub aſſignato genere. Dictio illa. Sub. Non modo ſeriem, ac ordinem innuit, ſed principium quoq;, & cauſam poſitionis habet. ſpeciei enim principium trahitur à genere, ab ipſoq; conſtituitur. Differentia nanq; genus ad ſpeciem cõtrahit, ſpecies uero ſub genere, & ordine, & participatione collocatur: ordine quidem, quoniam genus eſt ſuperius, ſpecies uero inferius. Participatione, quia nihil eſt de natura generis, cuius ſpecies non ſit, particeps. licet ſpeciei adiuncta ſit differentia generis ambitum, & poteſtatem coarctans.

ctans. exemplum. Homo ſpecies animalis eſt,
tum quia de homine prædicatur animal, tãquam
ſuperius de inferiori: tum quoniam animalis na-
tura uniuerſa homini cõmunicatur. hinc Porphy
» rius. Dicitur autem ſpecies, & quæ ſub aſſigna-
» to genere ponitur. Vnde homo ſpecies animalis,
» album ſpecies coloris, triangulus ſpecies figuræ
» dici ſolet: quoniam animal, color, figura, genera
» ſunt: quod ſi genus deſcribentes mentionem feci-
» mus de ſpecie, dicentes, genus eſt quod de plu-
» ribus, & ſpecie differentibus in quid affertur, pa
» ri iure debemus ſpeciẽ reddẽtes, de genere quoqꝫ
» meminiſſe. & utrunqꝫ in utriuſqꝫ diffinitione col-
» locare. Comparantur enim inter ſe genus, & ſpe
cies, ac alterum per alterum innoteſcit. ſciendum
uero eſt, quod accidentia comparata triplici mo-
do conſiderari poſſunt. aut quatenus ſunt ſimul
natura: aut quatenus alterum pendet ab altero:
aut quatenus cauſa, quæ comparationem efficit,
in uno eſt, non in altero. ſi primum ſumatur ne-
ceſſe eſt cõmunem in utroqꝫ ſubeſſe naturã, quæ
tanquam medium ſit cõparationis, inter extrema
poſitum: medium huiuſmodi eſt ipſa cõparatio,
quæ ſit æquabiliter in utroqꝫ: eadem enim uia eſt
quæ Thebis ducit Athenas, & quæ Athenis The
bas reducit, licet uſqꝫ termini ſint diuerſi: in me-
dio enim eadem eſt habitudo extremorũ, & ter-

minorum diuerſitate allata. hæc ratio in genere, & ſpecie ſatis eſt manifeſta : idem enim interuallum, ac medium in uarietate faſtigiorum conſideratur. ſed ſi cõparata eo modo conſpiciantur, quo alterũ ab altero pendet, non moror, quin ſit idem clarum, & obſcurum: prius, & poſterius, ex diuerſa tamen ratione : illud enim notius eſt in quo exordium cõparationis eſt. illud uero obſcurius, in quod procumbit, & ſiſtit ſe comparatio. ſi uero tertium illud conſiderationis genus inſpicias, nihil prohibet alterum ex cõparatis eſſe alterius cauſam : pater enim ob eam, quam habet gignendi facultatẽ, filii cauſa eſt. filius uero patris cauſa eſſe nequit. ſimili forma genus ſpeciei principium eſt, ac pater : ſpecies autẽ generis cauſa eſſe nequit : nihil enĩ ſpecies ſui habet in genere: hinc fit, ut alterũ ex altero finiatur. hoc eſt ſpecies per genus, non autem uice uerſa, per ſpeciem genus. ut homo eſt animal ratione utens, morti obnoxium, riſui aptum. ſpecies igitur eſt quæ ſub aſſignato genere collocatur. huius habitudinis, & comparationis terminus eſt genus. cõparatorum enim diffinitiones per ſuos quæq; terminos, ac per differentias proprias explicantur, ut dictum eſt antea. quoniam re ipſa nihil aliud eſt cõparatio, quàm habitudo ad terminum. Cæterũ ex his habeto, quod ſtrata, & fundamenta huiuſmodi

notionum, generis inquam, & speciei, ut animal, homo, natura ipsa ita se inuicem habent, ut generalius, ac superius, ad id, quod angustius est, & inferius. animal enim plura complectitur, quàm homo, & naturæ ordine superius homini habetur. Quoniam uero hæ notiones minimum soliditatis habent, ideo in iis explicandis strata, & fundamenta, & terminos earum collocare solemus: quod etiam comprobant ea, quæ alias dicta sunt. Dialecticen sanè circa ea uersari, quæ posterius mente percipiuntur, ita tamen, ut cōuenienter ad ea, quæ prius percepta sunt, accōmodētur: quare factum est, ut in exemplis tradendis res primæ notionis adhibeantur, atq; ita exposita est intelligentiæ nostræ prima speciei diffinitio. Nūc ad
» aliam transeundum. Species est de qua genus af-
» fertur. Generi enim species subiiciatur oportet, tum, ut de ipsa genus afferatur, tum etiam ut generis particeps efficiatur. accipio igitur animal mente cognitum, pariq; ratione hominem sumo. comparoq; animal ad hominem, ex habitudine quam tenet animal, uideo ipsum posse de homine aliquando afferri, unde facta collatione, quã primum fit, ut uerum dicatur homo est animal, uel de homine prædicatur animal. sed ex iis diffinitionibus nondum patet, qua ratione species uniuersale sit. ideo tertia diffinitio addenda est.

" hanc Porphyrius, hoc modo affert. Species est
" quæ affertur in quid, de pluribus numero diffe-
" rentibus. Concipio mente hominem. Socratem,
Platonem, Calliā: uideoq; hominem mente con
ceptum uim quandam habere, ut de Socrate, Pla
tone, Calliaq; afferri possit, qui inter se numero
differunt. confero itaq; hominem cum iis, huius
collationis stratum est aptitudo ea, & uis, quam
percipio esse in homine, ut mente concipitur. ter
mini uero Socrates, Plato, & Callias. ex hac com
paratione habitudo quædam emergit exuperan-
tiæ, quæ recepta in intelligentia, & notio secūda,
& uniuersalis nuncupatur, atq; hoc modo diffini-
tur. species est, quæ prædicatur, id est: prædica-
bile, uel uniuersale. sed nondum est satis. nam ge
nus, & reliquæ uoces prædicantur. Adde etiam.
" De pluribus, & differentibus. Neq; hoc satis est
" (ut patet) appone quod sequitur. Numero. Hoc
fortasse satis, sed ad discrimen differentiæ, addi-
" tur. In quid. Et ita confectum est. Diffinitio
hæc, eas habet leges, quas habet generis diffini-
tio. nam & cōparationis terminus adest, cum di-
" citur. Numero differentibus. Et notio diffini-
tur, non fundamentum, neq; compositum ex fun
damento, & notione. sed quid est differre nume
ro? Aristoteles in Topicis, ea inquit numero dif-
ferunt, quæ materiæ diuisione differunt. homo

enim cum sit species, de Socrate, Platone, Biāteq́ꝫ affertur quorum diuersæ materiæ habentur, quo-niam materia Socratis, non est materia Platonis, nec huius, Biantis: Differentia ergo, qua diffe-runt, quæ sub eadem specie collocantur, ex parte materiæ prouenit. sed hæc in principio quonam modo intelligēda sunt, clarius explicauimus. spe cies igitur prædicatur de pluribus, numero diffe rentibus. prædicatur inquam in quid. interroga-ti enim quid de pluribus numero differētibus in secundis notionibus affertur, speciem responde-mus. in primis uero interroganti quid est Socra-tes? homo; hoc candens? candidum; quid hoc le ue? leue: non enim indiuiduis accidentium no-mina imposita sunt, ab appellatione speciei distin cta. in substantia uero hominibus semper. cæte-ris uero rebus interdum. ut equo Hieronis. Phe-renicus: Alexandri Bucephalos: & similia. pa-stores quoqꝫ uenatores, & bubulci suis oues, tau-ros, iuuēcas, & canes uocabulis nominare solent. sed cum genus in quid prædicetur, perinde ac spe cies, est ne discrimen aliquod inter utranqꝫ prædi candi rationem? Respōdeo. quod genus in quo-cunqꝫ est per participationem, in eo est quid: est enim primum subiectum, quod differentiis spe-ciem efficiētibus determinatur, & uniuersum in-nuit esse speciei imperfectum tamē, & incohatū.

ſed ſpeciei uis, ratio, & natura perfecte in ſuis in-
eſt ſingularibus : quod in definiendis rebus in
promptu eſt : nam genus pars eſt ſpeciei, quando
quidem præter genus, quod in ratione diffinitio-
neq; ſpeciei continetur, adſit quoq; differentia
oportet, quæ rationem, & naturam efficit ſpeciei.
ſed indiuiduum nihil amplius continet ultra ſpe-
ciem. quod ad eius naturã pertineat, quia ſpecies
eſt uniuerſa indiuidui diffinitio. Species igitur
eſt uniuerſale, cuius fundamentum eſt natura, cui
competit cõparari ad aliquas naturas inter ſe nu-
mero differentes, de quibus natura illa ſecũdum
uniuerſam, & propriam rationem, in quid affer-
tur. habitis iis tribus diffinitionibus ſpeciei, pru
dens animus priores duas, tum mediæ, tum infi-
mæ ſpeciei comparabit: ultimam uero infimæ tan
tum conuenire uidebit; ad faciliorem uero huius
» rei notitiam, animaduertet, quod. In omni præ-
» dicamento, ſunt quædam generaliſſima, quædam
» ſpecialiſſima, quædam inter hæc media. Ariſto-
» teles ante Porphyrium hæc eadem dixit. Ex o-
» mnibus inquiens rebus aliæ ſunt huiuſmodi, ut
» de alio prædicari uere, uniuerſaliterq; queant, ut
» Cleon, & Callias, & omnia ſingularia, & ſenſilia:
» De iis alia nõ poſſunt. nam, & homo, & animal,
» tam Cleon, quàm Callias ſunt. Alia huiuſmodi,
» ut ipſa de aliis, inuicemq; de ipſis alia prædicari

,, contingat, ut homo de Callia: animal de homi-
,, ne: aliqua ergo esse, quæ per naturam de nulla re
,, prædicari queāt non ambigitur, nam è sensilibus,
,, ferè nihil est, quod tale nō sit, ut prædicari de nul
,, lo possit, præterquam ex accidenti: quandoqui-
,, dem interim sic loquimur, ut, & illud candidum
,, esse Socratem, & id, quod accedit, esse, Calliam
,, dicamus. Quam uero, & sursum uersus subeunti-
,, bus prædicationes procumbant, explicaturi post
,, sumus: nunc pro constituto sit. ergo de iis prædi
,, catum alterum demonstrari nō potest re uera, sed
,, ex opinatione aliqua: hæc autē de aliis possunt,
,, neq; item singula de aliis dicuntur: sed quæ sunt
,, in intermedio, nulli dubium est, quin utrunq; re
,, cipiant, ut & ipsa de aliis, & alia de ipsis afferri
,, possint, fermeq; disputationes omnes, cōmētatio
,, nesq; super his habentur. Hæc Aristoteles à quo
forte Porphyrius mutuatus est, licet alia occasio
ne. Decē igitur ordines sunt. qui κατηγορίαι Græ
ce, ut dixi, Latine prædicamenta dicuntur; sunt
enim generum, & specierum, differētiarumq; co-
ordinationes quædam, quæ ita inuicem se habēt,
ut recta ordinis distributione alterum supra, alte
rum infra collocetur: quoniam uero huiusmodi
collocatio ita īstruitur, ut quid afferatur, & quid
de quo aliquid afferatur, uel prædicetur digno-
scere possimus, iccirco prædicamēta uocātur. eo-

rum igitur, quæ ordinari, inſtruiq́ꝫ ſolent ad prædicãdum, decem ſunt quaſi acies, quæ à capitibus, & ducibus nomen ſortiuntur. quæ uero extra has acies ſunt, opinatione potius, quàm re uera prædicari, accuſariq́ꝫ ut ita dicam, de iis poſſunt. Cũ uero quædam res innuãt ſubſtãtiam, quædam uero, quod ſubſtantiæ accidit. cumq́ꝫ ex ſubſtantiæ accidentibus, quædam abſoluta, ſint quædam cõparata. Itemq́ꝫ abſolutum accidens, aut in partes diſtrahi poſſit, aut nequeat ſuſcipere diuiſionem. comparatumq́ꝫ aut intrinſecus ſit, aut extrinſecus. certum eſt, quod decem erunt coordinationes, prima ad ſubſtantiam ſpectabit, & ab ea uocabulum ſumet; diceturq́ꝫ prædicamentum ſubſtantiæ. altera uero quæ ſignificat accidens abſolutũ, ac diuiduum quantitatis acies appellabitur. tertia uero quæ accidẽtis abſoluti, ac indiuiſilis eſt, qualitas dicetur. ſi uero cõparata intrinſecus inſpiciamus τῶν πρός τι prædicamentum fiet. hoc eſt eorum, quæ id quod ſunt, ad aliquid referuntur. ſubſequitur uero multiplex comparatorum, quæ extrinſecus adueniunt agmen. nã aut actionem ſignificant, aut affectum, aut tempus, aut locum, aut ſitum, aut habitum, unde ſeries huiuſmodi proficiſcentur: agere, pati, quando, ubi, iacere, & habere. quæ denarium claudunt numerum. & in quibus poſita ſunt omnia, quæ afferri, & præ

dicari

cari possunt. in quolibet igitur prædicamẽto extrema sunt, & media. extremum quod agmen ducit, generalissimũ genus dicitur. extremũ quod aciem claudit specialissima species: media uero tum genera, tum species uocantur. Caput igitur quodlibet prædicamenti eius est naturæ, ut afferri de omnibus queat, quæ sub ipso collocantur, nihil autem de ipso afferatur. unde genus generũ, & genus generalissimum nominatur. Radix uero cuiuslibet extremi, atq; ultimi ordinis, ita subiicitur, ut tanquam genus prædicari nullo modo queat: iccirco infima species: & species specierũ, forma formarum, ac specialissima forma dicatur. intermedia uero si suspiciunt species: si despiciũt, genera nominantur. exemplo sit substantia, quæ caput est unius ordinis: sub hac corpus est, infra quod uiuens: post uiuens, animal: post animal homo ponitur. ab homine uero in singularia, & indiuidua descenditur. substantia igitur genus est generũ, & de omnibus affertur infra se positis, corpore, uiuente, animali, & homine. de illa autem nullum ex iis affertur, quandoquidem liceat dicere corpus esse substantiam: non autem substantiam esse corpus: nam sunt quædam substãtiæ carentes corpore. item uiuẽs animal: & homo, substantiæ sunt. nõ autem substantia est, aut uiuens, aut homo, aut animal: cæterum corpus affertur

de uiuente, ut genus, & uiuens non affertur de corpore. ſunt enim corpora multa uitæ carentia. De corpore autẽ affertur ſubſtantia, ut diximus, quare corpus ſubſtantiæ ſpecies: & uiuentis erit genus: animal uero uiuentis ſpecies, hominis autem genus dicetur: quoniam poſſumus dicere uiuens de animali affertur: ut animal eſt uiuẽs: & animal de homine prædicatur, ut homo eſt animal: nõ autem uice uerſa ualebit allatio, quæ penitus in homine procumbit, penitus inquam hoc modo, ut homo de re nulla tanquam genus prædicetur. His habitis: Dicendum breuiter. quod, genus aut eſt generaliſſimum, aut ſubiunctum: quæ diuiſio eſt perinde, ac ſi dicatur hominũ quidam candidi ſunt, quidã flaui. hoc eſt diuiſio rei ſubiectæ in ea, quæ illi aliquo modo attribuuntur. Attribuitur enim huic naturæ, quæ eſt nuncupata genus, uel illi naturæ, quæ eſt nuncupata ſpecies, ut in huiuſmodi coordinatione, genus quidem ut ſit, uel ſummum uel medium: ſpeciei uero ut ſit, uel infima, uel media: huius diuiſionis cauſa eſt altera præcedens diuiſio, quæ huiuſmodi eſt. Eorum quæ prædicantur, quædam ſimplici conſtant natura, quædam compoſita. compoſitorum, quædam per differentias diuidi, & numerari poſſit. huiuſmodi ſunt quæcunq; ex ea re componũtur, quæ nominatur genus: & ex ea re, quæ

nominatur differentia. quædam sola materia diui duntur. eo quia per differentias alias diuidi nequeunt. Simplici constant natura, quæ cõmunissi ma sunt, & maxime uniuersalia, ut genera genera lissima: cõposita, & diuisa per differentias, sunt genera media: composita, & diuisa per materiam sunt species. De indiuiduo autem dictum est antea. quot modis accipiatur, nunc de quo species afferatur est uidendum. Cum fluxus naturæ com munis, de qua locuti sumus, in uagum, & in erro neum procumbat indiuiduum: consequens est, ut species de uago, & erroneo indiuiduo prædicetur. sed quid nam quæso est iste naturæ communis fluxus? nisi eiusdem naturæ communis distributio? unde legitime uagum illud, & inconstans indiuiduum est speciei subiectum, de quo species statim affertur: sed ratiõẽ eandem subit hoc uocabulum, quam & uniuersale, & genus, & species, & reliquæ uoces subeũt. nam indiuiduũ, uel rẽ prioris notionis affert, uel posterioris, uel cõiunctæ. si est prima notio, efficitur stratum, & fundamentum secundæ. si est secunda notio, tunc est habitudo cuius basis est aliqua incõmunicabilis natura, distributionis expers, quæ de uno tantum afferri potest. ut Socrates, Plato, Calliasq;, qui iuxta cõmunitatis formam dirimi, distrahiq; in subiectas nequeunt partes. homo enim in So

crate, Platone, & Callia est iuxta uniuersam uim suam, nec potestatem habet, quatenus in iis collocatur, ut de pluribus efficiat prædicari, Socratem, Platonem, aut Calliam: licet ne prædicari proprie dicatur singulare. Quod patet ex ui uerbi huius, quod est prædicari. quoniam nihil aliud sanè est prædicari, quam hoc in illo esse. & de illo intelligere: unde mentis opere fit compositio quædam, quæ singulari nequaquam conuenire uidetur. quippe quia nihil in se ipso esse, aut de se ipso afferri posse putatur. quod si mens ipsa hoc interdum efficit (ea enim in mẽte uis est) certum est, quod non ex ipsius rei natura, sed ex ipsius mentis, & intelligentiæ facultate prouenit. sed quomodo indiuiduum uagum de pluribus affertur? cum diximus Socrates est aliquis homo? An hoc fit ratione cõmunis naturæ? & formæ, quæ in ipso est? nõ autem ratione illius proprietatis indeterminatæ? Natura igitur communis si per signum particulare præfiniatur, licet partem significet, indistincte tamen, & indeterminate significat. nec magis huic, quàm illi parti accõmodari potest. ea enim confusa, indistinctaq; partis indicatio per illud uerbum. Aliquis. Effecta, prædicationem, allationemq; de pluribus constituit nõ propria ratione, sed naturæ cõmunis, quæ quanquam ad partem propensior est, nondum ta-

men penitus est determinata. cum igitur dico.
» Aliquis homo. Si naturam respicio, nil prohibet, ut naturæ causa prædicatio quædam mentis opere efficiatur. quod si ad signum intuear, quod naturam coangustat: certum est, quod effici nullo modo potest, ut ulla, præterquam de uno, prædicatio fiat. hinc est quod licet indiuiduum prædicetur de hoc, uel illo: nõ tamen effecit, ut sint uniuersalia sex: non enim adiungi, applicariq; alicui naturæ potest indiuidui præsumpta notitia, ut natura illa de multis eo modo afferatur, quo reliquorum uniuersalium notiones afferuntur. quoniã uero nulla ab indiuiduis allatio proprie fluit: ideo fit, ut nullum in iis coordinationibus locũ indiuiduis relinquamus. unde nec in acie collocãtur, nec de iis, ut dicetur, cura est ulla: quoniã uero indiuiduum substantiæ in prædicamẽto collocatur, quomodo dicimus nos extra aciem indiuidua poni? An quia licet genera, & species proprie reponantur in prædicamento, indiuidua tamen quæ directe sub iis ponuntur, seruant generum, & specierum rationes; & superiorũ omnium cõmuniorumq; uires? & ob id in prædicamento directe reposita conspiciuntur. cæterum quoniam ubi ordo est necesse, habet, ut sit aliquod primũ, & aliquod extremum, iccirco in iis quoq; ordinibus extrema dãtur aliqua. Genus igitur genera-

liſſimum dicitur alterum extremum . ſpecies ue‐
ro ſpecialiſſima alterum. Genus generaliſſimum
duas habet diffinitiones. prima datur per abnega
tionem habitudinis ad ſuperiora: abnegatio enim
nil ponit in genere, ſed oſtendit exceſſum in ge‐
neralitate, unde nomen generaliſſimi ſumptum
eſt, nam dicitur generaliſſimum ob generalitatis
exceſſum, & ob negationem, qua negatur poſſe
aliam ſuſcipere allationem. innuitur ergo genera‐
liſſimum genus eo generalis allationis perueniſ‐
ſe, ut alterius progredi nequeat. quia in termino
ſit poſitum, & collocatum: uerba enim quæ exceſ‐
ſum ſignificant, eandem rem oſtendunt, quam cõ
parata, & infima innuunt . modo tamen diuerſo.
infima enim oſtẽdunt gradum ſine aliquo exceſ‐
ſu, qui uel citra terminum ſit, uel in termino con
ſtitutus. in termino enim res dicitur eſſe, cum in
altiſſimo, & ſummo gradu poſita eſt, ultra quem
efferri non poſſit . citra terminum intelligo, cum
res habet aliquem exceſſum, quem prius non ha‐
bebat, nõ tamen ſummum gradum occupauit. cu
ius modi ſunt comparata: aliquid enim candidius
efficitur, & comparat ſibi altiorem candoris gra‐
dum, non tamen ultimum, & perfectum . infima
autem gradum innuunt nõ exuperantem. compa‐
rata exuperantem, ſed non ſummum. ſuperlata ue
ro ſummum . Generaliſſimum ergo innuit ſum‐

mum generalis prædicationis ambitũ, ultra quod legitima generalis prædicationis serie nihil habet collocari: integrum enim, & simplicissimum est, & nihil imperfectionis de ipso concludi potest: quod non ita foret, si supra se genus haberet, quod per differentias contractum ipsum constitueret. unde per abnegationem diffinitur. quãquam autem negatio suapte natura indeterminata sit, determinatur tamen, cum dicitur, quod ex excessu generalis prædicationis nihil supra se habet. summum ergo genus generalissimum uocatur: quia cum sit genus, nullo modo queat esse species. Media uero, & species, & genera dicuntur: genera quidem, inferiorum, & subiacẽtium: species uero, præcedentiũ, & superiectorum, quæ dicuntur media, nõ quia participia sunt extremorum: sed quia huiusmodi locum inter prædicabilia sortita sint, ut intermedia iure dicantur. unde duas habent habitudines: alteram exuperantiæ, si ad res subiectas comparentur: alteram subiectionis, si sursumspiciant. nam media naturam superiorum habẽt, & suam inferioribus impertiũt. & quemadmodum tegula tegulæ pluuiam tum superioris, tum suam demittit, ita media illa acceptam à superioribus naturam suæ coniunctam inferioribus deferũt. Verbi gratia animal medium est inter uiuens, & hominem. habet autem natu-

ram uiuentis, habet, & propriam hoc eſt ſentien-tis, utranq; homini cõmunicat. & uirtute cõtinet hominem, priuſq; ipſo eſt. nec ſolum has homini naturas præberi cernimus, eò quia homo animal ſit, ſed etiam ſuperiorum omniũ, corporis inquã, & ſubſtantiæ. omnia enim ſuperiora uirtute con-tinent, quæ inferiora ſunt: nam per proprias dif-ferentias contracta efficiunt ea, quæ ſub ipſis col-locantur. ſed quanquam ſecundum uniuerſam eſ-ſentiam, & ſecundum totum eſſe corpus in uiuen te, & uiuens in animali poſitum ſit; non tamen ſe-cundum uniuerſam poteſtatem alterum alterius particeps eſt. quando adueniens differentia coar ctet, contrahatq; poteſtatem illam, & ſpeciem ef-ficiat. ſed nos ad rem noſtram. Prima generaliſſi mi diffinitio per habitudinis abnegationem po-nitur, ut dixi: cum dicitur genus generaliſſimũ. eſt ſupra quod non eſt aliud genus. ſecunda eſt per poſitionẽ habitudinis, cum dicitur, quod ita eſt genus, ut nunquam eſſe poſſit ſpecies. Media uero ſuperiorum ſunt ſpecies: inferiorum ſunt ge nera. ſpecies autem ultima, & ſpecialiſſima dici-tur, quæ ita eſt ſpecies, ut nunquã ſit genus. nam ſi ad ſuperiora reſpicit prædicationem quidem ge nerum antecedentium recipit: non tamen de infe rioribus tanquã genus affertur, quare infimæ ſpe ciei una erit habitudo, quæ ſubiectionis habitu-

do uocabitur, ex ea parte quatenus species est. nã inquantum uniuersalis, sic diffinitur ut genus: & dicitur species est, quæ prædicatur de pluribus. sed occurrit difficultas quam tetigit Aristoteles,
» loco allegato dicens. Quam uero, & sursum uer
» sus, subeuntibusq; prædicationes procumbant, &
» reliqua. Videtur enim ex opinatione quadam, ut ipse inquit, cõmune aliquod esse, quod de omnibus prædicamentis afferatur, cuiusmodi est il
» lud quod appellatur. Ens. Quã difficultatem
» Porphyrius soluit. Nõ enim inquit quemadmo
» dum in familiis. Quapropter ut res clarius habeatur. tenere opus est. quod quemadmodũ res primæ notionis, quæ in prædicamento reponuntur, suas habent notiones secundas, quæ sibi applicari queunt, ita res primæ notionis, quæ prædicamenta transgrediuntur, & transcendunt, suas habere notiones queunt. ex quo facilis ratio est, cur Porphyrius asserat ens de omnibus prædicamentis equiuoce afferri. mẽs enim eius est de uniuersalibus illis agere, quæ iis rebus adiũguntur, quæ in prædicamento, & acie collocantur: nam initio dixit se dicturum, de iis, quæ ad prædicamentorum doctrinam pertinerent: de iis ergo notionibus agit, quæ ad prædictos ordines adiungũtur: non autem de iis, quæ transcendentes respiciunt notiones, quæ mentis, & intelligentiæ opere di-

stractæ. sunt à generis, speciei, & aliarum uocum in ordine positarum notione: unde recte dictum est à Porphyrio, si quis omnia entia uocet, æqui-uoce, non uniuoce nominabit. sed repetenda res altius est. fieri enim potest, ut res aliqua uniuo-ca sit, non tamen uniuoce afferatur. est enim tam lapis, quàm lignum, album (unum enim utriusq; nomen esse potest) sed uniuoce prædicari de li-gno, & lapide, non potest: quoniã uniuoce præ-dicari est, quando ratio, & diffinitio eius, quod affertur, competit rei, de qua affertur: modo nec ligno, nec lapidi cõpetit albi diffinitio. nam neq; lapis, neq; lignum est color separans uisum, quæ albi diffinitio est. cæterum tam de homine, quàm de equo uniuoce affertur animal, quoniam diffi-nitio: & ratio animalis utriq; competat. his ita po sitis ens quidem uniuocum poterit esse omnibus prædicamentis: habet enim suapte ui rationem unam excitandæ, ac terminandæ intelligentiæ. sed tamen non est uniuocum ratione circunscri-ptionis, & finis eo modo, quo uniuoca illa sunt, quæ tradũtur à Porphyrio, nãq; duplex est agno minatio, limitata: & transcendens: prior est ra-tione alicuius rei, quæ affertur, quæ potest affer-ri de pluribus iuxta habitudinem alicuius uniuer salis à Porphyrio positi. posterior est ratione il-la, qua res aliqua mente cõcipitur, quæ de omni-

bus, uel de aliquo ex generaliſſimis afferri po-
teſt. De omnibus ut ens, uerum, unum, bonum,
comparatio, & huiuſmodi: de aliquo, uel uno, ut
iuſtitia, & ſapiẽtia. ſed hæc aliàs. licet autem ens
poſſit eſſe, ſitq; re uera uniuocum egrediens præ-
dicamentorum fines. aliàs tamen non eſt uniuo-
cum circunſcriptum, & finitum. Quare opus non
eſt, ut quemadmodũ in familiis ſubimus ad unũ
principiũ, ita in rerũ generibus ſummis ad unum
omniũ cõmune genus deueniamus. cæterum cum
» decem ſint genera generaliſſima. Specialiſſimæ
» quidem ſpecies in aliquo numero ſunt, nõ tamen
» infinito. indiuidua uero quæ infra ſpecialiſſimas
» ſpecies collocantur infinita, quapropter Platonis
» præceptum eſt, ut deſcendenti à generaliſſimis
» uſq; ad ſpecialiſſima quies, & ſtatus eſſet. Agit
hoc loco Porphyrius de numero eorum, quæ affe
runtur, & prædicãtur, generũ inquã tam ſummo-
rum, q̃ mediorũ, item formarũ ſiue interiacentiũ,
ſiue ſubiacentiũ, & indiuiduorũ. & claudit dena-
rio numero generaliſſima: ſpecies uero termina-
to in numero eſſe dicit, licet penes intelligẽtiam
noſtram ignotum ſit quot, & quales habeantur
ſpecies, quod etiam Cicero in Topicis. Forma-
» rum inquit certus eſt numerus. Forma & ſpecies
» idem apud Ciceronem. Item ibidem. Forma eſt
» notio cuius differentia ad caput generis, & quaſi

„ fontem referri potest. & adhuc (ut omnia absol-
„ uam) nolim specierum, & speciebus dicere, at for
„ mis, & formarum uelim. Certus ergo secundum naturam est formarum numerus: nam genus sanè aliquod non reperitur, cuius in immensum potentia diffundatur. quoniam per differentias terminatas ad speciẽ genus omne coangustatur: secundum ergo numerum differentiarum, quæ formas efficiunt, formarum clauditur multitudo. uerum enimuero singularia infra ultimam speciem collocata, infinita sunt natura ipsa: diuisibilis enim est eorum materies, fluxaq́ꝫ, & uariabilis, nec ipsa arte ulla contineri queunt. cum igitur potestate materiæ infinita sint, infinitum aũt sciri nequeat: par est ut indiuidua relinquantur, & descensus in species procumbat extremas: quæ per alias differentias nisi indiuiduas non descendat. Sed descẽdentibus à summis ad ima, rerum natura postulat, ut ab iis semꝑ incipiamus, quæ tũ natura, tum ratione ipsa priora sunt, & desinamus in ea, quæ posteriora censentur. cum uero non descendatur ad inferius, nisi per diuisionem superioris: necesse habet, ut qui descensurus est, iter faciat per numerũ, & multitudinem: quippe quia perfecta, & absoluta diuisio partium distributione diuisæ rei multitudinem efficit. contra uero in ascensu cõtrahitur numerus, nam ad cõmunionem res redit, com

munio autem dispersas colligit partes, collectio uero est adunatio multorum in unam naturã indiuidua ergo una speciei natura colliguntur: species plures una generis natura coarctantur: plura genera uno capite summo cõtinentur. unde in genere maior rerum numerus unitur, quàm in specie. quapropter descẽsus numeri causa est, & multitudinis. Ascensus uero collectionis, & paucitatis. Cõmunione autem speciei plures homines sunt unus homo. Hoc ita breuiter intelligendũ est, plures homines sunt unus homo, nõ quia iste homo ad quem digitum intẽdo, qui est unus homo per propriam materiã, sit plures homines distributione, & numero, per plures materias. sed quia ipsa unius naturæ communione, cuius multi participes sunt, quatenus ipsum in natura unum est, plures uniuntur. non enim cõtinuo sequitur, ut simpliciter, & absolute plures homines sint unus homo, quia uerum sit, hoc plures homines, speciei cõmunione sunt unus homo: sed quoniã una, & eadem forma, & natura omnibus inest; icirco plures sunt unus: plures quidem per materiam diuisi, unus autem per participationem speciei, & naturæ. Triplex uero est additionis effectus. quædam enim maiorem claudit ambitum, cõtrahitq; quod latius est, nihil de ratione illius adimens, ut homo albus, albus enim nihil adimit

ex hominis ratione, ſed adimit ambitum, ne ho-
mo de omni homine afferatur. item Socrates eſt
fuſcus, à Socrate non ſubſtantia carpitur, ſed in-
differētia ad alios colores, utputa fuſcum, uel fla
uum. Socrates enim prius abſq; diſcrimine, & al-
bus, & fuſcus, ut ſors ferebat eſſe poterat. ſed ad-
ditamēto illo effectum eſt, ut ad unum colorem
tantum ſit terminatus: nihil autem de eius natu-
ra ſit demptum. alia eſt additio quæ non omnino
rationem deſtruit, & ſubſtantiam, uel remouet,
uel interimit, ſed imminuit: ut ſunt hæc. eſſe in
opinione: eſſe in memoria: eſſe deſideratum ha-
bere attributum ſecundum partes: ut albus den-
tes. tertia additionis ſpecies hoc efficit, ut penitus
res intereat, quemadmodum ſi dixeris homo eſt
mortuus, nō ualet. ergo homo eſt. item ignis eſt
extinctus, ergo ignis eſt. his habitis cōſtat illud
additamentum diminuere, non deſtruere ſubſtan
tiam. nam diminuit naturalem unitatem: unitas
enim naturalis, & propria eſt, indiuiduæ proprie-
tates. quando igitur dictū eſt participatione ſpe-
ciei plures ſunt unus. ergo ſimpliciter plures ſunt
unus, id eſt unus numero, nō tenet cōnexum, ſed
tamen diminuitur illa naturalis unitas, quæ ad nu
merum, & naturam ſpectat, incolumi ſubſtantia,
& natura permanente. eſt autē quod aduertas ſpe
cialiſſimam ſpeciem indiuiduā uocari à doctis, &

probatis auctoribus: eò quia nõ possit diuidi per differentias, quæ possint alias efficere species, quando uniuersa speciei essentia sit in singularibus, & indiuiduis constituta. Atq; hæc de specie dicta sint. reliqua sunt in auctore facilia.

De differentia.

De differentia pertractantes, primo rationem uocabuli debent cõsiderare; sed facilis erit hæc ratio, si triplicem eius nominis significationem esse credemus, quemadmodũ triplex, etiã est reliquorũ uniuersalium intellectio. nam & pro secunda notione, & pro eius fundamento, & pro utroq; capitur. cæterum illud quoq; obseruat Porphyrius, quod non secundum omnes huius nominis acceptiones differentiam dicit subire dialecticorum examen: quæ res tum generi, tum formæ cõmunis est. contrarius tamen est usus: nam philosophi à ciuili consuetudine significata generis acceperunt, & speciei, sed differentiæ acceptio à philosophis sumpta est, & in cõmunem usum prolata: ueram enim differentiam sapientes statuunt esse illam, quæ naturam, & substãtiam rei unius à natura, & substantia alterius differre faciat. unde primam differentiam, speciei effectricem uocant, alias uero simpliciter, & sine ullo additamẽ-

to differentias appellant. & quemadmodum ue-
ra, & legitima differentia hoc efficit, ut unum ab
altero re uera, & natura differat, ita deductus est
usus ad uulgares, ut quicquid aliquo modo rem
unam ab alia differre faceret, id differentia uoca-
retur. unde Porphyrius. Communiter inquit, &
uulgo differentia uocetur, qua per exteriora, &
aduentitia quædã, res una differt uel à se ipsa, uel
ab alia. Dixi per exteriora, & aduentitia, quoniã
nulla res à se ipsa per uim, & essentiam differt. sed
aliqua leuiori permutatione facta differt quidẽ,
sed nõ in natura. Verbi gratia pauloante qui erat
albus, solis ardore fuscus effectus, aut pudore suf-
fusus est. hæc prima differẽtiæ acceptio nihil ad
quinq; uoces attinet. Dicitur secundo modo dif-
ferentia proprie iuxta eos, qui uero propinquio-
res sunt, qui causam differẽtiæ uident naturæ ma
gis cõsentaneam, quàm uulgus uideat: qui quo-
quo modo res se habeat, differre illam dicunt, uel
à se, uel ab alia: prudentiores uero efficacem ma
gis sequuntur uiam: nam differre alterum ab al-
tero dicunt. quando aliquod interuenit accidẽs,
quod separari à re nequeat. ut gibbus, blæsus, ci-
catricibus obductus. Differẽtia igitur proprie di
cta, est quæ inest per causam naturalem, uel quæ
maxima cum difficultate amouetur. unde accidẽs
inseparabile hoc loco capitur, quod per naturam
non

non poteſt à re in qua ineſt ſeparari, uel ſi poteſt,
maxima cum difficultate poteſt. ſed neqꝫ huiuſ-
modi acceptio differẽtiam ponit in numero præ-
dicabilium. tertia uero maxime propria eſt diffe
rentiæ ſignificatio, nam maxime proprie differre
alterum ab altero dicitur, cum differentia ſpeciei
effectrix interuenit, ut homo, qui quoniã ratio-
ne utitur, hac differentia ab equo ſeiungitur. atqꝫ
ita abſoluta eſt prima differentiæ diuiſio, quæ di
citur diuiſio uocis in ſuas acceptiones, uocis in-
quam unam prius rem innuentis, ad cuius ſimili-
tudinẽ poſtea multæ acceptiones cõparatæ ſunt:
hanc Græci ἀναλογίαν dicunt. differentia enim
maxime propria diſcrimen innuit in natura, reli-
quæ uero acceptiones innuunt diſcrimen in attri-
butis: recte autem habita eſt huiuſmodi diuiſio.
quoniã ex rebus, quædam ſubſtantiæ ſunt: quæ-
dam accidentia: ex iis ſeparari nõnulla queunt à
re ſubiecta: nõnulla uero nõ ſeparari. ſi accidens
ſeparetur. tunc differentia cõmuniter dicta emer
git; ſi non ſeparetur. tunc differentia proprie fit.
at in ſubſtantia maxime propria efficietur diffe-
rentia. cũ igitur res duplices habeantur, & in tria
diuidantur, decet triplices haberi differẽtias. non
tamen iuxta tres modos tria creãtur uniuerſalia,
ſed differentia, quæ ad ſubſtantiam refertur, ter-
tium inter uniuerſalia occupat locum. De qua di-

cendum quomodo uniuersalis euadat. & qua ratione huiusmodi appellationem sortita sit: tum quot habeat cõparationes: quibusue modis diffiniatur. sed prius exequi oportet, quæ à Porphyrio dicuntur. nam primo cõuenientiam quandam ponit harum acceptionum: & postea discrimen. Cõueniunt ergo in hoc differentiæ omnes, quod inter ea, quibus adueniunt, discrimen pariũt. hoc tamen inter se distant, quod differentiæ tam uulgares, quàm propriæ alterationem tantum gignunt: differentiæ uero propriissime dictæ immutant prorsus, & aliud faciunt. sed hæc Porphyrius. cæterũ accidentia uel cõmunia sunt, uel propria utroq; modo tripliciter considerantur. aut enim in se considerantur, uel comparata ad subiectam rem. priori modo duo prædicabilia fiunt, proprium, & accidens. posteriori modo uel comparantur ad singularia, quatenus de illis afferuntur: uel cõparãtur ad singularia, quatenus eorum interuentu, uel conueniunt, uel differunt inter se: atq; hoc modo duabus differẽtiæ acceptionibus uti possumus. altera scilicet, quæ cõmunis: altera, quæ uero propinquior dicitur, quæ alteratione, & immutationem quandam leuem efficiunt: differentiæ uero, quæ aliam esse rem faciunt, & diuersam, speciei effectrices nominantur: nam sunt formæ, quæ speciẽ constituũt. quæ triplici quoq;

ratione percipi solent. nam uel in se accipiuntur, ut substantiæ quædam: uel ex ea parte, quatenus sunt in substantia per ipsa constituta. aut inquantum, quod ex ipsis effectum est, si ad alia comparetur, per ipsas uel cōuenire, uel differre solet ab aliis: primo modo est substantia substantiæ effectrix: secundo est ipsa species iam effecta. tertio est tertium uniuersale, ad diuidenda genera, atq; ad constituendas species accōmodatum, utileq; ut Porphyrius in procemio dixit, ad diuisiones, & diffinitiones rerum. quod etiam testatur Aristoteles, ubi nos afformare diffinitiones docet in secūdo libro resolutionis secūdæ. sed hæc tu ibi. his positis Porphyrius paulò altius repetit ea, quæ dixit. hoc modo. Altius rursum incipien-
» ti dicendum est: E differentiis nonnullas esse,
» quæ separari queant: nonnullas, quæ separari ne-
» queant. nā quiescere: moueri: beneualere: ægro
» tare: & huiusmodi separari possunt. nō item autē
» aquilinū: simū: rōne utēs, rōne carēs. Vnde cū Porphyrius dicit differētias per se, eas intelligit differentias, quæ ad rei naturā, & substantiā constituendam pertinētes, rebus diffiniendis opportunæ sunt. per accidēs uero illas, quæ nec rei substantiam, nec rationē efficiūt. Probat autem differentias per se non intendi, nec remitti hoc modo. cuius rei natura non intenditur, nec remitti-

tur, illius uera principia non intenduntur, nec re-mittuntur: atqui natura speciei, nec intenditur, nec remittitur: quomodo enim fieri potest quin res una, & eadem sit. quare nec speciei principia, quæ sunt differentiæ speciem efficientes, inten-dentur, aut remittentur. huiusmodi enim formæ constituunt rei substantiam, simplicesq; sunt, nec suis oppositis permiscentur: non enim ratione utens permiscetur ratione carenti: quare fit, ut cum intentio, & remissio cõtrariorum admixtio-ne fiat; hæc quæ substantiam conficiunt, non relaxentur, neq; contendantur: suo enim semper in termino sunt, nec maiorem, aut minorem contra-riorum permixtionem suscipiunt. Duplex autem intentio est, duplexq; intẽtionis causa. Aut enim maiori uel minori cõtrariorum permixtione res intenditur, & remittitur. aut ex natura subiectæ rei, in qua insunt cõtraria. exemplum primi cum res candida fit, minori contrarietatis permixtio-ne candidior semper euadit: semper enim imper mixta magis opposita re candescit. exemplum secundi, ut accidentia propria à principiis rei natu-ram cõstituentibus emanantia: certum enim est, quod admiratione affici ille est habilior, qui ad ridendum promptior est, & qui minus est habi-lis ad admirationem, minus quoq; ad risum habilis est; quare secundum habitudines principiorũ

uim rei subiectæ constituentium, magis & minus existentes intēduntur huiusmodi formæ, quæ sibi subiectæ rei principia consequuntur. unde non opus est dicere, quod eadem ratio sit differentiarum, per se, & earum quæ per accidens illud habentur, quod separari nequit. quod patet inspicientibus. quod utræq; tum sint suis cōtrariis impermixtæ non suscipiant magis, & minus: nanq; inseparabiles differentiæ per accidens intenduntur, & remittuntur ratione rerum subiectarum, in quibus insunt. ex habitudine differentiarum per se inseparabilium, quæ sunt principia rerum subiectarum. At nonne multos homines uidemus in brutorum genere potius, quàm in numero ratione utentium collocandos? quomodo ergo nō intenditur, non remittitur, non aboleturq; differentia per se? Aiunt sapientes formam à qua sumitur differentia. uno ex tribus modis posse intelligi: aut ex ea parte quatenus tribuit esse alicui, quod nō est: aut ea ratione, qua per eam differt ab alia re, quod ex ipsa constitutum est: aut inquantum eius actionis initiū est, quæ sit rei naturæ conuenientissima. primo sanè modo nec intēditur nec remittitur ob rationem præallegatā. nec secundo modo: sed si consideretur actio, cuius ipsa forma, de qua sumitnr differentia principium est, duplex efficitur modus: nam uel in se

consideratur tanquã forma, quæ sit actionis prin
cipium: uel ad subiectam rem comparata. hoc est
ad compositum, cuius ipsa actio sit, propria legi-
tima, & cõsentanea: priori modo nec magis, nec
minus habet: posteriori uero interdũ habet. sunt
enim quædam ex rerum subiectarum parte, quæ
uel impediunt, uel excitant actiones: hinc uide-
mus aliquos debilitatos, uel impeditos, uel ali-
qua ratione affectos minus agere iuxta princi-
pium, quod interius possident. unde fit, ut agi-
tentur furore, delirent, & parum acute prospiciat:
sunt uero perspicaces, sani, ac compositi multi, in
quibus ingenii uis, & acumen inest mirabile. atq;
per accidens, & non per se differentia, quæ rei na
turam constituit, uel remitti, uel intendi uidetur.
quod Porphyrius per inductionem probat. non
enim animal de homine plus, quàm de leone af-
fertur: neq; genus ullum magis de una prædica-
tur specie, quàm de alia: neq; item hoc efficit dif-
ferentia: sed contrariis impermixta sua manet in
simplicitate: & id, cui aduenit, ueluti ex ea con-
stituto, & ante requisito, ut genus aliud efficit.
non enim differentiæ aduenientes generi, aliud
efficiunt genus: sed aliam efficiunt speciem, quæ
res ab iis differentiis nõ potest effluere, quæ sunt
per accidens: sed siquis argumentetur, nonne co
lor genus est, cuius differentiæ sunt congregare,

& disgregare uisum? quæ cum accidentia sunt aliud tamen efficiunt: nam si colligere uisum colori aduenniat, nigredinem cōstituet: item si disperdere uisum, colori accedat, candorem efficiet: & ita differētiæ, quæ sunt accidētia cōficient aliud, quæ res Porphyrio repugnat. Respōdēdum. differentias huiusmodi posse cōparari, tum ad rem subiectam, in qua insunt: & hoc modo sunt accidentia. tum etiam ad proprium genus, & ita rei naturam constituunt, & aliud efficere possunt. cū uero differentiæ rerum ignotæ sunt, proprietates illarum asciscuntur interdum. nam licet ratione carere sit discrimen hominis, & brutti: nō tamen est discrimē bruttorum inter se. sed cum illæ differentiæ ignorentur, per quas leo differat à boue: & bos, ab agno, & agnus ab aliis, oportet singulorum proprietates afferre. unde Porphyrius loco differentiæ proprietatem attulit, cum dixit.

» Mortale. Quod uerbum dicit aptitudinem ad interitum: quæ est proprietas animalis potius, quàm hominis: quoniam per se aptum est animal ut intereat. habet enim in se corruptelæ principium. His habitis ad differentiam, qua de agitur, explicandam ex promissis accedamus. Differentia inseparabilis per se aliud faciens est ex quinq; uniuersalibus. & triplex habet officium. primum est genus diuidere: alterum est species efficere.

ultimum inter effectas species, desidium facere. à quo munere differentiæ nomen sortita est; eò quia rem unã ab alia differre faciat. cõparo utens ratione ad animal, & uideo in hac comparatione aptitudinem inesse in ratione utenti, ut animalis promiscuam potestatem diuidat, & huic aptitudini nomen hoc pono differentia diuidens: differentia ergo diuidit genus non diuisione illa, qua solidæ res, ut ligna, & lapides cõciduntur. sed diuisione propria dialecticorum: nam cum dicitur animal diuidi per ratione utens, & ratione carẽs, nihil aliud innuitur, nisi animal quo ad eius ambitum, & cõmunitatem declarari per ratione utens, & ratione carẽs: nõ enim generis partitur essentia, & uis; sed potestas: integra enim, & incolumis in omnibus essentia generis manet, & indiuisa in qualibet specie; sed potestas distributa est: unde cum dicitur ratione utẽs, & ratione carens diuidere ipsum animal, nihil aliud dicitur, nisi ratione utens, & ratione carens animalis ambitum à posteriori manifestatur: atq; hac comparatione fit differẽtia diuisiua. Si uero comparetur ratione utẽs ad hominem, prout utrunq; mẽte percipitur, nulli dubium est, quod ex habitudine, quam ratione utẽs, habet ad hominem quatenus cõstituit hominem; fiet differẽtia cõstituẽs; quæ nõ ideo cõstituẽs dicitur: quia producat speciẽ,

sed

ſed quia ex re, quæ potētia eſt, ut genus, & ex re, quæ actu eſt, ut differentia, compoſitio quædam fit, & conſtitutio diffinitionis cuiuſlibet rei: ſed quoniam ex differentiis quædam conſtituunt genus: quædam conſtituunt ſpeciem; ideo generales illas, has uero ſpecificas nominabimus, & de utraq; ratio eadem erit: nam cum genere, generales, ut animal, & ſenſatum, & cum ſpecie ſpecificæ conuertentur, ut homo, & ratione utens. ex duabus ante poſitis comparationibus, uidiſſe potuimus qua ratione differētia, tum diuidens, tum conſtituens appelletur: res enim eandem ſortitur appellationes multas, quia multis aliis rebus comparari poteſt. tertium differentiæ munus eſt, à quo proprie omnis differentia ſuum ſortita eſt nomen, efficere, ut res una ab alia differat. nam ſi comparetur ratione utens ad hominem, & leonem, ex habitudine quam habet ratione utens, ut poſſit differentiam ponere inter hominem, & leonem, facta comparatione, & in intelligentia concepta, fit differentia. hæc res planè intellecta, facilia reddet, quæ à Porphyrio dicuntur. Cum uero Porphyrius diuidit differentias in per ſe, & in per accidēs, hæc diuiſio ſumitur à propria differentiæ functione: nã per eos modos ſecundum quos differentiæ inſunt, aſſumitur. cæterum ratione ipſa prior eſt differētia diuidens, quàm con

ſtituens; oportet enim quod prius mẽs agnoſcat differentiam exire à genere, quam quæ generi adiuncta eſt, cognoſcatur eſſe ſpeciei effectrix: nam ut exemplo utamur, omnes hæ ſunt differentiæ per ſe animatum, inanimum, per quas diuiditur, hoc eſt innuitur, cõmunio generis, hoc eſt corporis: ſenſatum, & ſenſu carens, per quas diuiditur animal: mortale, & immortale, per quas animal ratione utens ſecatur. & ſic ordine collocentur differentiæ omnes, quæ à formis ſubſtantiam efficientibus aſſumuntur: nec modo hæ differentiæ diuidunt, ſed etiam efficiũt: quando ſcilicet altera earum ſumitur, tanquam perfectio, & abſolutio generis poteſtati annexa: tunc enim effecta eſt ſpecies, cum ex eo, quod erat poteſtate, & ex eo, quod tanquã actus aduenit, unum fit. quod ueluti tertium ex utriſq; compactam rei ſpeciem
» abſolutam facit. unde Porphyrius. Cum igitur,
» tres differentiæ ſpecies perſpectæ ſint, cumq; ex
» iis aliquæ ſeparabiles, aliquæ inſeparabiles ſint.
» item per ſe nonnullæ inſint, & aliæ per accidens.
» certũ eſt, quod ex iis, quæ per ſe inſunt, hæ qui-
» dem ſunt, per quas genera in ſpecies diſtribuun-
» tur. illæ uero, per quas diuiſa in ſpecies reddũtur,
» & conformantur, & reliqua. Vnde cum habuerimus tum neceſſarias, tum etiam non neceſſarias differẽtiæ partitiones, cumq; uiderimus functio-

nes, & munera, quæ ex diuersis collationibus dif-
ferentiæ præstant. Reliquum est, ut ad eas defi-
" niendas accedamus. Differentia igitur quæ ter-
" tium efficit prædicabile, est qua species genus cir
" cunfluit. Cum differentiam non pertineat ad ge
neris intellectionem, hoc est non sit de generis
intellectione, sed speciei; sequitur, quod species
abundat à genere, id est, includat in eius natura
præter genus aliquid, quod non includitur in na
tura generis: nam si diffinire animal uolumus, di
cemus animal esse substātiam animatam, sentien-
tem: si hominem; dicemus, homo est animal ra-
tione utens. quare cū homo sit animal, erit quoq;
substantia animata sentiēs. & ultra hoc erit etiam
ratione utens: quod pertinet ad hominis intelle
ctionem, non autem ad animalis intelligentiam.
Non autem propterea, quia species exuperat ge-
nus, existimandum est, speciem plura continere
potestate, quàm genus: uel quod species magis
indifferens genere habeatur: sed quoniam species
secundum essentiam plura cōtinet, quàm genus:
nam si differētia pertineret ad intelligentiam ge-
neris: toties nugatio fieret, quoties forma, spe-
ciesq; diffiniretur. nam si genus secundum suam
uim, & naturam differentiā contineret, satis esset
in specie diffinienda genus tantum ponere absq;
ullo differentiæ additamento. nam cum dicere-

tur homo est animal. si in animalis natura inclu-
deretur ratione utens. superuacaneũ esset dicere,
homo est animal ratione utens, perinde ac super-
fluum est dicere, homo est animal substantia sen
tiens animata: quoniam idem est dicere animal,
ac substãtia animata sentiens. species ergo hac ra
tione exuperat genus, id est plura per essentiam
continet, quàm genus. genus enim differentias
continet potestate, species uero essentia. potesta
te autem continere est indeterminate continere,
quam indeterminationem, differentia, quæ actus
est, merito præfinit: nam differentia, nec actu,
nec intellectione est in genere. species uero abun
dat actu, quia in ipsa re uera est differentia: item
intellectione, quia species habet in se differentiæ
intelligentiam, qua caret genus: hac diffinitione
separatur uera differentia, ab aliis ut patet, quo-
niam aliæ non ingrediuntur rei naturam. licet in-
terdum occasionem præbeant, ut in substãtiæ no
titiam ueniamus. nam quando aliquod accidens
diffinimus, in eius diffinitione subiectam rem po
nimus differentiæ loco: cum igitur in diffinitio-
ne genus contrahat, & ad speciem deducat: patet
quod subiecta res est tanquam differentia. ecce ti
bi, curuum cõmune quoddam est, ad omnia cur-
ua, crus: nasum, digitum. si uero subiecta res po
natur. Verbi gratia nasus, certum est, quod per

ſubiectam rem contrahetur ad ſimum: & hoc ue-
riſſimum eſt in iis differentiis, quæ proprie dicũ-
tur. nam uulgares illæ, & quotidianæ nullum
philoſophis uſum præbet, ſed uel oratoribus, uel
poetis cõmunes habentur. Sed incidit quæſtio,
quam Porphirius ponit, unde nam ſpecies diffe-
rentias habeat. quibus plura eſſentia contineat
quàm genus? an à ſe, an à genere? nanque abſur
dum eſt dicere, quod à nullo habeat, nullus enim
philoſophorum conceſſit unquam ex nihilo quic
quam fieri, ex nihilo autem aliquid fieret, niſi
præhaberetur, & præintelligeretur aliquid, quàm
differentia. nam poſito, quod eſt ratione utens,
præintelligitur, uel corpus, uel animatũ, uel ſub
ſtãtia. cum igitur incõmodum ſit uel maximum
dicere ſpeciẽ differentias à nulla re ſumere, à quo
nam quæſo dicendum eſt ſpeciem differentiã ſu-
ſcepturam? Dices tu à genere. At hoc incongruũ,
& minime conſentaneum eſt. quando, ſi hoc ue
rum eſſet, oppoſitas res in eodem eſſe conſtaret,
nam differẽtia eſt per oppoſitionem: ratio, quia
oppoſitio diſcriminis cauſa eſt: cum igitur nulla
ſit ratio, propter quam magis una differentia ſit
in genere, quàm altera, cumq́ꝫ oppoſita nata ſint
fieri circa idem: continuo ſequetur, ut oppoſita,
& repugnãtia ſimul in eodem reponentur, quod
fieri minime poteſt. At erraui inquies linguæ la-

psu. uolebam enim dicere à se ipsa speciem differentiam sortiri: A' se ipsa? Egregie. At uir probe, doceto me quæso, quonã modo fiet, ut quicquam habeat à se ipso aliquid, quod eius essentiam constituat? quomodo idem se ipsum, ex se ipso componet? cum nihil sit, quod & efficiens, effectum sit ratione rei eiusdem? nam cum secundum se ipsam species habeat differentiam, continuo sequitur, ut differentia quoque secũdum se ipsam, hoc est essentia sua speciem habeat. principium enim eius uerum est. quare differentia erit species, & species erit differẽtia: unde igitur habes quæ dixisti? Penituit me tam subito sententiam meam protulisse. credo. qui enim ad pauca mentis aciẽ dirigunt, facile enunciant. At quæstio soluitur hoc modo. Genus si comparetur ad speciem, quæ per ipsum constituitur, non est materia, licet aliquam cum materia teneat similitudinem, sed est forma indeterminata, inchoata, indistincta, & confusa: quæ dispersa in materiã, nondum per propriam, perfectamq; formã determinata est: cum uero sit forma, nullomodo secundum quod forma est, prædicari potest. nec etiam ex ea parte, quatenus est forma totius. sed prædicatur ea ratione, qua totum esse cognoscitur, siue sit in potentia, siue in actu, quod cum ita sit, sequitur, quod genus est forma totius exi

ſtentis in potentia. & quod nomẽ generis, & res affertur, quatenus genus ab intelligentia comprehenſum notionem totius, quod eſt in potentia declarat. ex his, quæ diximus duæ rationes conformari poſſunt hoc modo. Id quod eſt communis ſpeciei ſubſtãtia, inexiſtens eius uniuerſitati; ſpeciem declarat, inquantum, & ſpeciem, & alia à ſpecie continet. Sed genus eſt communis ſpeciei ſubſtãtia inexiſtens eius uniuerſitati. genus igitur ſpeciem declarat, inquantum ipſam, & alia ab ipſa continet. ſecunda ratio: genus eſt pars eſſentiæ communis ſpeciei. atqui quod huiuſmodi eſt innuit cõmunem ſpeciei eſſentiam, quod quidem iã patere poteſt inſpiciẽti, ut ex ea infertur. genus igitur ſpeciei eſſentiam innuit. Ex iis uidere potuimus quod genus ĩ definitione, ſpeciei pars eſt, in prædicatione autem eſt totum. Sed ne fruſtra hæc dixiſſe uideamur, ut facilius præhabita quæſtio diſſoluatur. Differentia uniuerſam ſpeciẽ declarat ex ea parte, quatenus uniuerſa ſpecies proprie terminatur. cuius ratio eſt, quia differentia eſt propria eſſentia ſpeciei, quod autẽ huiuſmodi eſt; declarat uniuerſam ſpeciem quatenus per id ſpecies uniuerſa proprie terminatur. Quod autem differentia eſſentiã ſpeciei ſibi propria declaret, patet ex eo, quia differentia eſt pars propria eſſentiæ ſpeciei, quod autem huiuſ-

modi eſt', propriam ſibi ſpeciei eſſentiã declarat,
atq; ita manifeſtum eſt, quod quatenus, & genus,
& differentia inſunt uniuerſæ ſpeciei, ipſam uni-
uerſam declarant. ſed quatenus utrunq; eſt pars
ſpeciei, ſequitur quod per utrunq; pars ſpeciei de-
claretur: ſed genus eſt pars cõmunis, & ſpeciem
declarat ſecundum partem cõmunem: differentia
uero eſt pars propria, & oſtendit ſpeciem ſecun-
dum partem propriam. A' diuerſis enim quæ in
ſpecie continentur, tum genus, tum differẽtia ſu
mitur. hoc eſt ab alia, & alia forma; ne formalita-
tem barbare nimis dicamus. ſignum eſt, quod
mens noſtra, alterum, abſq; altero poteſt conci-
pere. quorum autem diuerſa cõceptio eſt, ipſa di-
uerſa ſunt. cum igirur diuerſa ſit generis conce-
ptio, à conceptione differentiæ; ſequitur, quod
genus, & differentia diuerſa ſint, & diſtinguan-
tur. Neq; propterea dicendum eſt, quod cum ſpe
cies diffiniatur per genus, & differentiam diuer-
ſarum naturarum cõgregatio in ſpecie reperiatur.
nanq; hoc poſito diffinitio non eſſet unum, ſed
multa. eſt ergo una natura, quia genus poteſtate,
hoc eſt actus incohatione, & imperfectione dif-
ferentias habet. & differentia eſt in generis pote
ſtate tanquam res diſtincta, in re indiſtincta, &
interminata. eſſe autem in poteſtate, eſt ambitu
maiore contineri. non eſt ergo fatendum, genus,

&

& differentiam esse res diuersæ naturæ, sed satis habet, quod non sunt diuersorū generum, quemadmodum substantia: quantum, quale: sunt enim naturæ eiusdem generis, quæ ad unum ordinantur. ita quod genus sit illius naturæ incohatio; differentia uero perfectio. sic ergo genus habet differentias potestate, nec ullum incōmodum est, si differentiæ oppositæ sint, & repugnantes: nanq; opposita confuse, & indistincte in eodem reperiri possunt. distincta autem, & pura non possunt. cumq; omniū oppositorum sit una radix, & fons unus, à quo pullulant, & fluunt, nullum absurdum sequitur, si summatim, & generaliter opposita dicantur esse in eodem. Differentiæ igitur (ut tandem rem propositam absoluamus) sunt in genere tanquam in principio, à quo suam habent incohationem, & secūdum potestatem, id est confusam, & indeterminatam formam generis distributam in materiā nondum determinatam, & ad unguem perfectam. ad hunc modum soluta est quæstio Porphyrii: qui post eam ponit alteram diffinitionem differentiæ, quæ huiusmodi est.

" Differentia est quæ prædicatur de pluribus, & differenti-
" bus specie in quale quid. Duplex est differētia.

interiecta; & infima. Planè interiecta est generū subalternorum: infima uero ultimæ speciei. Diffinitio allata cōpetit generali, & interiectæ diffe-

rentiæ, non aũt infimæ, ac ſpecificæ. in hac diffi-
nitiõe genus eſt prædicari de pluribus, quod idẽ
eſt ac uniuerſale. differentia uero, qua uniuerſale
contrahitur ad differentiæ conſtitutionem, quæ
eſt ſpecies una uniuerſalis: eſt prædicari, & affer
ri cum interrogamur quale quid eſt aliquid. ſed
inſurges hoc modo: eſt differenti a, quæ prædica-
tur de pluribus ſpecie differẽtibus: ut generalis:
eſt etiam differentia, quæ prædicatur de pluribus
numero differentibus: ut differentia ultima. ui-
detur ergo duas eſſe ſpecies uniuerſalis, ita quod
ultima differentia ſit aliud uniuerſale à differen-
tia media. quemadmodũ genus eſt aliud uniuer-
ſale à ſpecie: quoniam genus prædicatur de pluri-
bus differentibus ſpecie, ſpecies uero de pluribus
differentibus numero, & utrunq; in quid prædi-
catur. Soluitur neq; genus eſt magis uniuerſale,
quàm ſit ſpecies: neq; differẽtia generalis eſt ma
gis uniuerſalis, quàm differentia ſpecifica. licet
tam genus, quàm generalis differentia plura am-
biant, & complectantur quàm ſpecies, & ſpecifi-
ca differentia. Vnde non eſt dicendum quod ge
nus diſtinguitur à ſpecie, tanquam aliud uniuer-
ſale: propterea quod afferatur de pluribus ſpecie
differentibus, ſed iccirco, quia genus alio modo
prædicatur in quid, quam ſpecies: nã ſpecies præ-
dicatur in quid tum ſecũdum poteſtatem, tum ſe-

cũdum eſſentiam ipſius uniuerſam. genus autem
non item. Sed differentia tam interiecta, quàm ul
tima prædicãtur in quale quid eodem modo. pri
mo enim prædicãtur in quale: quoniam interro-
gati qualis eſt res utputa homo. differentiam re-
ſpondemus hoc eſt ratione utens: ſecundo quia
ſicuti in compoſitis ſolidis, & naturæ opere effe-
ctis, aliquid eſt quod materiæ rationẽ habet, ali-
quid uero formæ. ita in iis cõpoſitis, quæ labore
mẽtis conficiuntur aliqua erunt, quæ proportio-
ne cõparationis uidebuntur iis reſpondere: nam
in omnibus ex quibus fit res una per ſe, alterum
potentiæ, incohationisq́; habet uicem alterum ue
ro perfectionis, & actus. Differẽtia ergo in com-
poſitis non habet modum potentiæ, & materiæ,
quia non eſt indeterminata, ſed actus, & formæ,
quod idem eſt: cum uero forma ſit qualitas, habe
bit modum qualis, ſi referatur ad ſpeciem. Quo-
niam uero duplex eſt actus, alter qui abſolute ali
quid efficit, & alter qui aliqua effectam rem qua-
litate informat, differẽtia priori modo actus eſt.
ideo dicitur prædicari in quale quid, hoc eſt in
quale, quod eſſentiam rei conficit: non autem in
quale, extraneum, & adiectum: genus autẽ affer-
tur in quid, & per modum quid. differentia uero
prædicatur in quid per modum qualitatis. infor-
matio enim eſt qualitas quædam. Non eſt igitur

discrimen ullum inter modum, quo generalis differentia prædicatur, & modũ, quo specifica differentia affertur: quapropter cum utraq; prædicetur in quale eodem modo, non est quod hæc faciat aliud uniuersale ab illa. Prima igitur diffinitio differentiæ est, quatenus differentia respicit speciem, quam constituit, & est comparatio inæquabilitatis: & exuperantiæ. unde cum dicitur differentiam esse qua species exuperat genus, intelligitur hoc modo: differentia est, quæ cum genere cõstituit speciem: hanc enim uim habet uerbum græcum περιοσεύει ut abundare, & superare significet. secunda diffinitio est differentiæ mediæ (ut dixi) quatenus est uniuersalis: cõparo animatum ad leonem, ceruum, & canẽ uideoq; aptitudinem quandam inesse in animato cognito, ut de leone, ceruo, & cane cognitis afferri queat. ex huiusmodi cõparatione, quæ facta computatione resultat, animatum fit uniuersale. quod si huic dif
» finitioni dematur particula. Differentibus spe-
» cie. Satis patet, quod ea diffinitio propria erit differẽtiæ qua de agitur. Sed quamobrem omissa est à Porphyrio? quia ultimæ rerum differentiæ nos latent, à facilioribus autem, notioribusq; argumentandum. hinc est quod Porphyrius angelos appellarit animalia ratione utentia. quippe quia uulgus, qualia sunt quæ sensibus subiiciun-

tur, talia eſſe quæ non cadunt ſub ſenſum, putat.
» quod autem dicit Porphyrius. Sic & homo cõ-
» munis, & ſpecialis. Id eſt, ſic homo cõmunis ac-
ceptus in ſpecie, cõmunis ergo qui eſt in pluri-
bus, & eſt ſpecialis, non quidem acceptus, ut hic
& ille, ſed in ſpeciei cõmunitate ſimilis eſt iis cõ-
poſitis, quæ in rerum natura ſoliditatem habent.
quippe quia cõparationis proportionem quãdam
habet: cõponitur enim ex genere tanquam ex re
prima ſubiecta, quæ in ſe potentiam habet, ut in-
formetur; & ex differentia, quæ ueluti formans,
& diſtinguens conſtituit totum quoddam, quod
eſſentiale uocant, proportione reſpondẽs iis com
poſitis, quæ conſtant, ex materia & forma. unde
hoc modo animal, ratione utẽs: morti obnoxiũ
eſt quoddam totum, quemadmodum ſtatua ex
ære, & eius figura: eſt uero alia differentiæ diffi
» nitio. Qua dicitur, quod differentia eſt, quæ na
» ta eſt ea ſeparare, quæ ſub eodẽ genere collocan-
» tur, item & alia hoc modo. Differentia eſt qua à
» ſe ſingula differunt. Traduntur hæ diffinitiones
quatenus differẽtia diuidit. Ratio igitur diuiden
tis differentiæ eſt, quod ſit nata diuidere, cum eo
ad quod comparatur, id eſt cum re diuiſa, & cum
termino in quem deſinit cõparatio, id eſt diuiſio.
Nam termini in quos diuiſio finitur ſunt ea, quæ
ſub eodem genere collocantur. Differentia enim

ſimpliciter diuidit, ſimpliciter cōſtituit, & ad cer
tam ſpeciē determinat: quatenus diuidit eſt dif-
ferentia. nam diſtinctio quædam eſt: diſtinctio
autem eorum, quæ diſtinguuntur differētiæ cau-
ſa eſt. Qua ratione autem conſtituit, hoc habet,
propterea quod eſt diuidēs: nam ex eo quod di-
uiſio diſtinguit cauſa eſt, quod diſtincta coarctē-
tur, & contrahatur, & hoc eſt ſub genere conſti-
tuere. Quod autem ad certam ſpeciem determi-
net à nullo habet: hinc eſt quod ſummum genus
differentias habet eas tantum, quæ diuidunt. infi
ma uero ſpecies conſtituentes. infima enim ſpe-
cies propria efficitur à propria natura, per quam
diſtinguitur ab aliis, nam illa natura in aliis mini
me reperitur: ſed in ſe totius diffinitionis uim te
net. ſemp enim quod eſt prius in poſteriori clau-
ditur. Sed diffinitio, quæ dicit differentiam eſſe
qua differunt à ſe ſingula, ſi ita intelligatur, ut di-
camus differentias eſſe, qua inuicem ſingulæ ſpe-
cies differunt forte ad conſtituentē differentiam
poterit accōmodari. Differētias ergo duas habet
comparationes immediatas, alteram ad genus, al-
teram ad ſpeciem. ſi ad genus reſpiciat de genere
affertur cum particulis diſiungentibus hoc mo-
do. Animal eſt aut ratione utens: aut ratione ca-
rens. hoc enim diuidentis eſt proprium, ut de re
diuiſa cum diuiſione afferatur. Si uero differētia

ad speciem compareretur. tunc de illa absolute præ-
dicatur, ut illud. homo est ratione utẽs. At si di-
catur, & proferatur hæc propositio. animal est ra-
tione utens: uera quidem fuerit: sed non in uni-
uersum. uera enim est hæc etiam, animal est ratio-
ne carens: at in particulari utraq; uera est. nihil
enim incõmodi sequitur aliquid uere afferri de
re illa, ad quã se habet indeterminate. sed ad Por
» phyrium. Verum qui subtilius elaborant in ra-
» tione differentiæ perscrutanda, non quodcunq;
» ferat sors, est differẽtia, quæ diuidat ea, quæ sunt
» sub eodem genere: sed quodcunq; ad esse rei ma
» xime confert, & ad id quod erat esse: demum rei
» pars est. Vltimo loco Porphyrius propriã dif-
ferentiæ rationem assignat, quæ huiusmodi est.
Differentia est qua differunt secundum essentiã,
& naturam illa, quæ sub eodem genere collocan-
tur. nam ubi est differẽtia quædam, ibi etiam est
aliqua conueniẽtia. cum igitur differant, quæ sub
eodem genere ponuntur secundum essentiam, &
naturam per differẽtiam. consentiunt tamẽ, & co-
gnatione quadam in genere colligantur: quoniã
singula proprii generis naturam in se tenẽt. Non
igitur quodcunq; diuidit, quæ uni generi subii-
ciuntur, est differẽtia, sed id, quod ad esse rei per-
tinet. quo posito ponitur res, & ablato aufertur.
& hoc dicitur: quoniam quædam rerum proprie-

tates habentur, quæ res unius generis diuidunt, quæ naturã, eſſentiamq́; ipſarum minime efficiũt. & ideo negliguntur in rerum diffinitionibus. cũ propriæ differentiæ non uacant. Sed cur propriũ quod ſpeciem ſequitur accidens nominatur: differentia uero quæ ſequitur genus non item? An quia proprium, rei iam conſtitutæ aduenit: omne autem huiuſmodi accidens nominatur. differentia uero cum ad rei perfectionẽ pertineat, quippe interminatam generis potẽtiam cohibet, non accidens, ſed pars rei dicenda eſt. quod ſi generi nihil deeſſet, perfectumq́; foret, & cõſtitutum, iam differentia non pars, non natura, ſed accidens, & annexum uocaretur. quæ res non eſt dicenda hoc loco: genus enim ſeminarium, & imperfectum eſt quod per differentiam expolitum ad pulcherrimam rerum ſpeciem deducitur.

De proprio.

Proprium multis modis accipi ſolet. nam quod ad unũ ſpectat, in quod illud ius habet, id proprium dicitur, ut ciuitas propria domini. præterea quod priuatum eſt, id proprium nominatur: & iis modis contradiſtinguitur ad cõmune; & eſt nomen primæ notionis, ſic prædia quæ proprie ſunt noſtra, lux uero cõmunis. Et philoſophi qui omnia

ſicut

„ ſicut propria ſua eſſe, atq; à ſe poſſideri uolunt.
„ unde etiam Tullius alibi. Ex quo, quia ſuum cu
„ iuſq; fit eorũ, quæ natura fuerant cõmunia, quod
„ cuiq; obtigit, id quiſq; teneat. Sumitur alio mo
do proprium pro ſecunda notione cuius ſtratum
eſt res primæ notionis, quæ comparata ad aliquã
naturam ex aptitudine, quã habet, ut ex eius prin
cipiis oriatur, & cum ea cõuertatur, proprietatis
nomen ſortita eſt; ſed hoc apertius enodabitur,
nam propriũ ex ea parte, quatenus eſt ſecunda no
tio, nõ eſt propria alicuius rei ſubiectæ affectio.
ſed id, cui ſecunda notio mentis opere applicatur
eſt proprium, utputa, eſſe aptum ad ridẽdum eſt
propria ſubiectæ rei, hoc eſt, hominis affectio. nã
ſecunda notio, quæ proprium dicitur non eſt ho-
minis affectio, nec illius, quod eſt, eſſe aptum ad
ridẽdum. uerum eſt ſpecies quædam uniuerſalis,
& innuit quod ea res, quæ affertur, & prædicatur.
cõuertitur cum ea, de qua affertur, & prædicatur:
cum tamen de illius eſſentia non afferatur. deno
minat autẽ proprias affectiones, ita ut dicamus,
eſſe aptum ad ridendum eſt proprium. Neq; ue-
ro id in ſolidis tantum eſſe cõſpicitur. ſed etiam
in iis rebus, quæ mentis opere conficiuntur, ab
his denominatio proficiſcitur. eſt uero ad ple-
niorem intelligentiam, tenẽdum; quod res, quæ
proprium dicitur, à principiis ſpeciem conſtituẽ-

tibus manat: cum ergo ſpecies ſubſtantia ſit, cer tum eſt, quod & eius principia erunt ſubſtantiæ. non enim euenit, ut ex non ſubſtantia, ſubſtãtia fiat. ſed qua ratione principia ſpeciei ſint etiam principia proprii? Reſponſio. quod principia ſpe ciei ita inuicẽ ſe habent, quemadmodum dictum eſt, ut alterum poteſtate ſit, alterũ actu. ſed prin cipia proprii ſunt per habitudinem, quam habet eſſentia, & natura ex iis iam conſtituta ad actus, uel affectiones, quæ ſpeciei naturam in materia conſequuntur. cumq; quod aduenit rei iam perfe ctæ, ſit uel accidens, uel accidenti ſimile: conti nuo ſequitur, quod principia proprii ſint uel acci dentia, uel iis ſimilia. quia non conſtituunt eſſen tiam rei, ſed ſunt habitudines quædã. exemplum: hominis principia ſunt animal: & ratione utens: ubi per hæc conſtitutus iam homo eſt, ſequitur quod homo natura ipſa ſit aptus, ut rerũ admira tione tangatur, rerum inquam, quæ, & uiſu pul cherrimæ, & auditu iucundiſſimæ ſint. ſequitur etiam uehemẽtiorem ſpirituum uim, caloriſq; co piam facie teneat, quoniam ibi ſunt ſenſuum do micilia, quorum functiones caloris abũdantia, & ſpirituum alacritate indigẽt: hinc efficitur, quod ſit aptus ad ridendum: calore nanq; diffuſo mem bra facilius dilatãtur: quod ſiquid ingratum ob uiam ſit, retrahuntur ſpiritus: conſtringitur cor,

faciesq́ꝫ ſimili forma, & cerebrum, ex qua cõſtrin ctione exprimitur lachrima, quæ per membranas exiens, & minimas partes per oculos diſtillans fluit. & hinc ad fletum idoneus natura eſt homo: has proprietates ex initiis humanæ ſpeciei deductas, bruta non habent, quia nec admiratione affici, nec cognoſcere quicquam ualent, ſed alias poſſident, ſuis primordiis maxime cõſentaneas. ex habitudine igitur principiorum ſpeciẽ conſtituẽtium, ad actiones, & affectiones rerum oriuntur principia proprietatũ: principia uero ſpeciei, aut æquiperãtur omnino principiis proprii. adeo quod principia proprii non ſint cõmunia multis, aut excedunt. ſi æquiperantur, aut æquant, & mutari nequeunt, quia magis à principiis ſpeciei diffluunt: aut æquant, & mutari poſſunt, quia promptius à materia proficiſcũtur. ſi igitur æquãt priori modo tunc fit proprium, quod cõuenit omnibus iis indiuiduis, quæ ad unam ſpeciem referuntur, quia inſequuntur principia ſpeciei, & conuenit ſoli ſpeciei, quia non excedit eius principia, nec aliis eſt cõmune: & conuenit omni tempore, quia nequit mutari: & cõuerti habet cum ſpecie: ut homo eſt aptus ad ridendũ, & quod eſt aptum ad ridendum eſt homo. quod Porphyrius dixit in cap. de ſpecie. " Vbi paria de paribus prædicantur. " Si uero æquant, & mutantur: aut id fit le

ge, ac impulsione naturæ : aut nostræ uoluntatis arbitrio : si fit suadēte natura, tunc est proprium, quod tempus respicit, quod omni indiuiduo, soliq; speciei conuenit, non autem semper, sed cum hac lege, ut aliquod ad id tempus assignetur. conuenit autem omni indiuiduo, quia necessario consequitur ad initia speciei, quatenus ratione aliqua determinantur. conuenit speciei, quia consequitur propria eius principia : sed non inest semper, hoc est sub qualibet temporis differentia : quia illa initia nō semper sub eadem ratione permanent : ut canities in senio, quæ ex frigiditate cerebri proficiscitur, & præcipue in senectute quando æstus cordis deferuet, quo temperies aliqua fit iuuenibus, & prohibetur putredo : frigiditas uero albedinis causa est : canities ergo proprium est, sed nō inest semper. sunt enim senes, quibus adhuc æstuat cor, unde tepefacto cerebri frigore, desumptaq; putredine non immutantur capilli : cætera uero animalia proprie non canescunt. si uero arbitrio nostro, & appetitione aliqua permutatur affectio : tūc fit proprium, quod soli speciei inest. non autem uel omni indiuiduo : uel omni temporis differētia. uocaturq; proprium ad aliud, quoniam est propriū ad illa, quæ sunt unius speciei quibus competit. & non ad alia indiuidua unius speciei, quibus non conuenit. diciturq; actū,

& non aptitudinem. Verbi gratia grammaticum esse (artificio, & labore, nõ autẽ aptitudine, & inclinatione naturæ. sic enim esset proprium primo modo) inest quidem, ut constat, uniuersæ humanæ naturæ, non tamẽ omnibus iis, quæ sub ea colliguntur. conuenit ergo soli speciei, quia ex eius initiis oritur, quæ sunt ratione uti: cognoscere, & uelle: non autem omni, quia uoluntas per se promit suam functionem, quæ aliter fieri solet: si principia speciei excedãtur à principiis proprii. tunc erit proprium, quod competit omni, sed nõ soli: omni; quia necessario insequitur principia speciei. non soli; quia cõmunius est: bipes enim sequitur initia speciei: quoniã sequitur rem, quæ necessario requirit esse bipes, ut perficiat suas functiones, obeatq; munera sua, & demũ gradiatur. est aũt cõmune, quia in multis reperitur hoc, propter huiusmodi functionem, ut in auibus, & aliis: hoc autem proprium, innuit aptitudinem non autem actum, & effectum. fit enim ut alter interdum deficiat pes: aduentitia quadam, & extranea de causa: uel naturæ defectu: qũo autẽ id fiat à philosophis sciscitari oportet. Atq; hæc sunt proprii acceptiones. est autẽ hæc diuisio uocis in significata, quatenus plura in uno cõueniũt, & ad unum referũtur, cui uni ratio illius nominis aptatur, nam maxime proprium est illud, quod conue

nit soli speciei, omni indiuiduo, & semper. quod ab Aristotele in Topicis proprium simpliciter appellatur: eò quia principia proprii, nec in plura, nec in pauciora se habent principiis speciei: & ita ex iis manant, ut mutari nulla ratione queant. ut aptum risui in homine, aptum mugitui, in boue. nam licet usq; homo non rideat, nec bos mugiat. aptitudo tamẽ utriq; inest natura insita, ut homo ridere, bos mugire aptus natus sit: & hac de causa proprium dicitur propriũ. sed qua ratione proprium, est uniuersale? Dictum est uniuersale esse quãdam totius rei notionem, de qua prædicatur, & innuere uel totum secundum incohationem, & indeterminationem: uel totum secũdum actum: uel totum secundum potestatem natura insitam consequentem ipsum actum in ea re, in qua inest: & hoc modo proprium dicit totum. unde aptitudo ad ridendũ, quam risibilitatem dicunt, non affertur de homine, sicut nec affertur rationalitas, sed risibile, & rationale. Attamẽ licet genus, differentia, species, propriumq; prædicentur, ut concreta sunt, nõ propterea tamen denominantia uocari debent. nam dictum est antea. Duplex esse concretum: alterum in substantia: alterum in accidente: prædicari uero aliquid in concretum secundum substantiam non est prædicari denominatiue. nam denominatio fit ab externa natura,

nec rei essentiam declarat, quando indeterminata sit eorum causa, ut ab albedine res denominatur alba, uti paries: equus: & huiusmodi. nam id à quo sumitur denominatio, diuersam habet naturā à re, quæ denominatur. in cōcretis autem substantiæ nulla est natura nisi propria. Proprium ergo est uniuersale: ratione autem speciei cum qua conuertitur est propriū. Ratione autem indiuiduorum sub illa specie contentorum est uniuersale, & cōmune. unde Porphyrius hoc loco non definit propriū ea parte, quatenus est uniuersale: sed inquantum proprium est. unde Aristoteles in Topicis proprium inquit est, quod tametsi non significat. Quod sit rei esse: in sola tamen re continetur, cuius est propriū: & cum ipsa uicissim in prædicando regreditur. Cōuertitur autem hoc modo, ut aptitudo semper insit re uera, & actu, quia posita alicuius continenti, & necessaria causa, necessario est effectus. nō autem ut insit actus. Verbi gratia ridere, iam uel plorare. aptitudo enim illa est, ex parte ipsius proprii in se, non autem est inhærentia ad actum. ubi uero dicitur. Quod tametsi nō significat, quod sit rei esse. Vel quod dicit Porphyrius. Non prædicans essentiam. Additamentū hoc est ratione diffinitionis, quæ conuersim quidem prædicatur, ut proprium, & essentiam innuit: quod non præstat proprium, ex

antehabitis uidere potuimus. proprium esse medium inter differentiam, & accidens: quia nõ esset ab rei substãtia penitus alienum, & necessario rei subiectæ naturam consequeretur: nam in re subiecta causa inest, ut huiusmodi effectus, quod proprium dicitur, re ipsa proueniat. quæ res accidenti minime conuenit, nec essentiam constituit, ut differentia: sed iccirco habet naturam accidẽtis, quia aduenit rei iam perfectæ, ac essentiam rei non cõstituit: habet etiam naturam differentiæ: quia essentiam consequitur, quam differre facit ab alia, ita tamen ut discrimen hoc posterius adueniat. ex iis innotescere potuit accidens esse diuersum prædicabile à proprio. Quod si dicatur, propriũ prædicatur de pluribus specie differentibus. Respõdeo: quod duplex est propriũ, quemadmodum duplex est differẽtia. Generale scilicet, & speciale. Generale consequitur genus: speciale consequitur speciem: nihil autẽ prohibet, quin generale sit proprium, ut mobile: respectu eius rei in qua inest. & genus: respectu eorum, de quibus prædicari potest, scilicet respectu eorum, quæ augeri, diminui, ac permutari possunt. Atque hæc de proprio dicta sint.

Accidens

De accidente.

Accidens quoq; multis accipitur modis: nam si pro re primæ notionis sumatur, idem est, ac inhærẽs, atq; hoc modo dicimus quantitatem, qualitatem, relationem, & huiusmodi esse accidẽtia, quia inhærent iis quibus insunt, & adueniũt rei iam perfectæ. & sic est in genere certo actionis, & passionis, & ab ipso præter substantia, reliqua genera denominantur. Sumitur etiam pro inhærentia, & adhæsione, & cõmuniori uocabulo accipitur pro re, quæ prædicatur, & affertur nõ de essentia rei, sed alio quo uis modo. si uero accidens pro re secundæ notionis accipiatur est notio quædã mentis opere comparando effecta. comparatur enim percepta mente, & intellecta albedo ad parietem, uisoq; quod ita inhæret, ut opposito modo paries intelligi queat, hoc est sine albedine, efficitur ex ea cõparatione iam mente suscepta notio, cui nomen inditum est accidentis, quæ ideo nomen retinuit rei primæ notionis, quia cum ipsa conuenit: & ita inhæret, ut res primæ notionis. Accidens igitur à quattuor uniuersalibus distinctum neglectius reliquis est. nam neq; præcedit, neq; subsequitur substantiam, ita ut ipsam constanter declaret, uel per prius, uel per posterius. Nam &

præter materiam, & formam, quæ rem constitu-
unt, anteceduntq; : & præter ea, quæ constitutæ
rei proprie attributa sunt quatenus ex rei princi-
piis egrediuntur; dantur aliquæ adiectiones, &
appendices, quæ neq; per se; nec cõuersim res cõ-
sequuntur. atq; ita præter enumeratos prædican-
di modos, qui sunt in quid secũdum potestatem :
in quid secundum totam essentiam : in quale per
essentiam: & in quale per consequens essentiam,
proprie datur alius prædicandi modus per quale
annexum, & inhærens, quod accidens nomina-
tur, nec cum substantia regreditur. cuius triplex
» est diffinitio. prima est huiusmodi. Accidẽs est
» quod adest, abestq; sine subiectæ rei interitu.
Diffinitio hæc recte percepta, plures aufert dubi
tandi occasiones. Latini meo iudicio, exquisitius
eam, quàm Græci sunt interpretati. nam cum ui-
derent secundas rerum notiones modos esse, sub
quibus res primæ notionis intelligerentur, subti
lius negotium istud pertractarunt, utinam pro-
prio, & conuenienti sermone, licet enim interpre
tati sunt γίνεται, καὶ ἀπογίνεται, adest, & abest,
quod felicius edere potuissent, recta tamẽ inter-
pretandi ratione effecere, ut res obscura, & diffi-
cilis in perspicuã quandam lucem translata esset :
adesse igitur, & abesse multis modis intellexe-
runt. primum quidem ex natura loquentes idem

adeſſe, quod inhærere putarunt. unde συμβεβη-κὸς Græci quaſi σὺν ἄλλῳ βεβηκὸς: & abeſſe idẽ quod ſeparari. quod ſi ſenſus eliciendus ſit, dicendum eſt. accidens eſſe formam, quæ poſſit inhærere, & non inhærere rei ſubiectæ, in qua ineſt. nã licet accidens ſemper inhæreat, non tamen ſemper inhæret uni ſubiecto, cui ſemel inhæſerit: ſed fieri ſeorſum alibi poteſt, & hoc modo accidens non capitur niſi pro re ſubiecta, & ſtrata intelligentiæ, & notioni. ſecundo modo ratiocinantes idem abeſſe, quod negari; & adeſſe, quod affirmari exiſtimant: ut ſit horum uerborum ſententia accidens eſt uniuerſale, quod ſine repugnãtia à re ſubiecta poteſt affirmari, & negari de ipſa, id eſt cõceſſo iam, quod res ſubiecta eodem modo poſt ſeparationem accipiatur, quo ante erat accepta. album enim de pariete poteſt affirmari, & negari abſq; repugnãtia. quæ res nõ euenit generi, nec formæ, nec differentiæ, nec proprio: quia uel ipſa inſunt rebus ſibi ſubiectis, & actu effectuq;, & intellectione: uel res ſubiectæ inſunt ipſis prædicatis intellectione. Nec uero eſt dicere, nonne accidens quoddam eſt, quod ſeparari nequit? Dico inſeparabile hoc loco intelligi ſic, ut per naturam, & iuxta naturæ ordinem non poſſit re uera de ſubiecto negari, poteſt tamen eſſe ſine ſubiecto, quia poteſt deſtrui ſubiecto incolumi:

ſed non poteſt eſſe ſine ſubiecto, ſic ut re ipſa, &
actu exiſtat ſeiunctum, & ſeiugatum à ſubiecto:
nulla enim naturæ uis hoc efficiet unquam: cum
ergo dicitur accidens inſeparabile, ſic intelligas:
ut naturæ ordine, & lege ſeparari nequeat, fieri ta
men poteſt, ut æthiops in frigidiſſimis locis pau
latim albeſcat, & coruus gignatur nitidus, ſi oua
in frigidis locis ponantur, uel in ftigido ſucco im
ponantur. quapropter inſeparabile dicetur, quod
ægre, & cum difficultate ſeparatur, ſed ſi dialecti
cis accedamus. quis dubitat quin negari de re ſu-
biecta queat, ipſa ſoſpite, & incorrupta? Reddi-
ta uero diffinitio hæc fuit ratione modi, quo ac-
» cidens adhæret ſubiecto. Cum uero dicitur, ac-
» cidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non
» ineſſe. Redditur penes cauſam adhæſionis, nam
contingit ineſſe, quod legitimam ſuæ adhæſionis
cauſam non habet, legitimam cauſam uoco uerã,
neceſſariam, propriam, quam eſſentialem dicũt,
quæ quin inſit, prohibeat. conuenit autem diffi-
nitio hæc tam ſeparabili, quàm inſeparabili acci-
denti. contingens autẽ illud eſt, quod in utrunqꝫ
euentum eſt promiſcuum: ſed hæc cõſideranti ui
detur primum per hanc diffinitionem accidens à
reliquis uocibus ſeparari: deinde minimam par-
tem habere de ratione allationis, & uniuerſitatis:
licet fortaſſe de pluribus prædicetur, quam reli-

qua uniuersalia. unde tertia eius diffinitio est orta. » Nanq; accidés est, quod neq; genus est, neq; » species, neq; differentia, neq; proprium. Per abnegationem fit diffinitio hæc, aliquo tamen ex præcepto, posito. nam intelligitur, accidens est uniuersale, quod & reliqua. non enim per meram abnegationem, quæ nihil ponit, ulla diffinitio assignatur, non est autẽ ullum ex iis, quia nulla est eius inhærentiæ constans, & præfinita ratio, uel causa. ex omnibus autem iis, quæ dicta sunt, elici diffinitio quædam potest, quæ accidẽs reddat ex ea comparatione, qua dicitur prædicabile, uel uniuersale, & ea est huiusmodi. Accidẽs est quod mutabiliter de pluribus in quale affertur Aristoteles. autem in primo Top. diffinit accidens hoc » modo. Accidens uocatur quod nihil est ex prio » ribus: non finitio, non proprium, non genus, & » reliqua. Reliquũ est, ut uideamus quo nam modo accidentis allatio fiat. & id hac ratione innotescet. quod accidens primum rei singulari, & indiuiduæ inest. postea uero indiuiduorum causa de specie affertur: quod contrarium est in prædicatione proprii. nam proprium de specie primũ. postea de indiuiduis per speciem affertur. sed si quis obiiciat, non ne singulare censendum est illud, quod aduenit singulari? huic obliuionis, & negligentiæ nota ascribenda est. quoniam uide-

tur iam oblitum fuisse, quod res, quibus hæ secũdæ notiones applicantur sunt iam mentis opere cõmunes, & uniuersales effectæ. licet autem album quatenus est in materia, conspiciatur in singulari, tamen cum hac ratione non sit stratum, & fundamentum notionis, sed quatenus mente elaboratur, erit à singulari, & indiuiduo separatum.

De communitatibus uniuersalium.

Singulis in rebus tria cõsideranda sunt. Primũ est uis, & natura ipsius rei, qua de agitur: Alterũ est conuenientia, quam res una tenet cum alia. Tertium est discrimen. Vim & naturam diffiniendo expedimus: Cõuenientiam referendo ad primũ, à quo res deducitur, explicamus. Discrimen uero ex ipsa materie declaramus. ubi enim multitudo ibi diuersitas est. hæc Porphyrius diligenter inspiciẽs: utpote Platoni addictus, qui substantiã, idem, & diuersum considerabat: primo quoq; loco propria seorsum diffinitione uniuersalia cõclusit, mox ulterius progrediẽs: tũ in quo quæq; uox consentiat, tum in quo differat, enodauit. quoniam uero de distinctione sæpe mentio facta est, fietq; sæpius, ideo breuiter, & quid sit distinctio, & quot eius genera habeãtur, quibus'ue modis ordinẽtur, dignoscãturq;, declarare conabor.

Commentatio quintadecima.

Rerum igitur, quædam referuntur ad aliud, quædam non referuntur. Diſtinctio in priori genere collocatur: nam quodcunq; diſtinguitur ad id, à quo diſtinguitur, referri amat. Præterea incidunt ſæpe tempora, ut duo ſibi oppoſita, diuerſa tamen ratione in eadē re ſubiecta inſint, unde fit, ut quæ hoc modo oppoſita ſunt, ad aliud reſpiciant. cum igitur idem: & diſtinctum in eodem ſæpe reperiantur: ſequens eſt, ut ad aliud referri habeant. Cæterum quia eorum, quæ referuntur, nonnulla ſunt ſuis terminis circunſcripta, utpote certo genere contenta ſubſtantia, quantitate, qualitate, uel aliquo ex iis: nōnulla uero terminos tranſcendūt, ut quæ genera omnia circumplectuntur, quemadmodum id quod uocant ens: omnesq; eius affectiones unum, bonum, aliquid, uerum, quæ ambitu cōmuniſſimo de rebus omnibus afferuntur. cum igitur in iis diſtinctio reperiatur, quæ cōmunia ſunt omnibus generibus, conſentaneum eſt, ut ipſa quoq; tranſcendens, & egrediens terminos cenſeatur: hanc ſententiā confirmant ea, quæ ipſi enti cōueniunt, aut eius prædictis affectionibus. nam quæcunq; huiuſmodi ſunt, ut uel enti conueniant, uel eius affectionibus, priuſquam coarctetur, & in genus deſcēdat aliquod, ea ſunt tranſcendentia: nemini autem dubiū eſt, quin diſtinctio ſit huiuſmodi, ut tum enti, tum eius proprietati-

bus conueniat, priuſquã coanguſtetur, & certum indicat genus. nam ens ab ipſis proprietatibus diſtinguitur: quare fit ex iis omnibus, ut diſtinctio ſit comparatio nullo certo genere contenta: ſed quoniam comparationes habentur quædam quæ poſitis earũ terminis ſtrato ſcilicet à quo incipiunt, & termino in quem deſinunt, ut poſito hoc candido, & illo; neceſſario ſequitur comparatio, id eſt ſimilitudo, licet à gadibus uſq; ad indicum mare diſtent, ſtatim ex earum natura eueniunt: quædam uero, quæ aliquid tertium requiruntur, ut poſito igne, & ſulphure, quæ ſunt combuſtionis extrema; non continenter ſequitur actio, id eſt combuſtio: ſed neceſſaria eſt horum appoſitio quædam. iccirco inueſtigandum eſt etiam, qualis natura ſit ea comparatio, quæ de diſtinctione affertur. uidetur autem quod diſtinctio ex extremorum poſitorũ natura ſtatim emergat, nam ſi ponatur ratio illa, quæ hominis naturam efficiat, & ratio quæ leonis eſſentiam facit, illico inter utranq; natnram diſtinctio cadit: nam ex utriuſq; diffinitione cõprobare poſſumus euidenter hominem non eſſe leonem. ſed neceſſario à leone diſtingui. hæc comparatio, quæ neceſſario ab iis duabus cauſis emergit, intrinſecus adueniens nominatur. cæterum quia comparationum extrema interdum ſunt eiuſdem rationis: ut hic

frater : & ille frater. unde oritur cõparatio æqui-
perantiæ: interdum uero sunt diuersæ rationis, un
de fit cõparatio inæquabilitatis, ideo tenendum
est distinctionem esse comparationem, transcen-
dentem, intrinsecus aduenientem, & inæquabili-
tatis. nam quæ sunt eiusdem rationis, ex ea parte,
qua huiusmodi sunt; minime distinguũtur. & ita
manifesta est eius diffinitio, qua separatur ab
aliis comparationibus. Distinctionum plura sunt
genera: quædam mentis opere efficiuntur: quæ-
dam non item. prioris notæ sunt, quas solet mens
nostra efficere collatione quadam. quãdo igitur
mens inter ea, quæ sunt penitus indistincta, con-
stituit aliquam distinctionem; tunc & distinctio
rationis, & mentis opere effecta uocatur. exem-
pli gratia homo est homo, re ipsa nullũ est discri
men in iis, sed mẽs illud, quod præcedit uerbũ in
ratione subiecti, & illud quod sequitur, in ratione
prædicati considerat: unde rationis distinctio no
minatur: hinc colligere possumus candidum, &
candorem, id est concretum, & abstractum duas
res non esse menti obiectas, sed unam, diuersis ta
men modis consideratam. sed nos ad solidas di-
stinctiones ueniamus, illas scilicet, quæ secluso
intelligentiæ opere conficiuntur, earumq; nume-
rum, ordinem, & inuestigationem declaremus.
sed quoniam sermo nobis habendus de natura, de

ſubſtantia, de eſſentia, de ratione, quæ quid eſt res oſtendit : quam latini quidditatem uocant, & de modis intrinſecis, ideo uoces huiuſmodi ſunt declarandæ. Naturã ergo multis modis dicimus: aut enim quælibet res, quæ ſub intelligentiam cadit natura latiori uocabulo nominatur : aut magis proprie quicquid agere, & perpeti poteſt. aut quod eſt motionis initium, aut quod aliquid informat ſpecifica differentia. Ratio naturæ cõmunior eſt ſubſtantia. omnis enim ſubſtantia eſt natura, non autem regreditur hoc : nam qualitas quidem natura dicitur, ſubſtantia uero non item. Ratio autem eſſentiæ adhuc natura latior eſt, nam ſub eſſentia naturæ ratio collocatur, eſſentia autem eſt illud, quod diffinitur. quare omnis ſpecies cuiuſlibet generis eſſentia nominari poteſt. non autem naturæ, quia multa ſunt à quibus tanquam principiis, nihil produci, ac fieri poteſt. cuiuſmodi eſt relatio, & materies ipſa. ultimo loco eſt ratio, quæ quid eſt eſſe rei declarat, hæc adhuc fuſior eſt eſſentia : nam eſſe eſſentiæ eſt illud, de quo dicitur, & affertur diffinitio. unde fit ut in omni neceſſaria propoſitione illud eſſe, quod ponitur ſit eſſe eſſentiæ, nam ueritas propoſitionũ neceſſariarũ ſemper manet, etiam circunſcripta omni exiſtentia. ut patet conſideranti. ſi quis enim dicat homo eſt animal, hæc propoſitio

cum sit necessaria semper erit uera, siue homo re ipsa existat, siue non existat. Modus intrinsecus est, qui adueniens alicui non immutat rationem, quæ quid sit id, cui aduenit, declarat, id est ex se nullam habet rationem, quæ ad diffinitionem spectet, & non cõcluditur in diffinitione eius, cuius est modus: sicuti nec homo concluditur in diffinitione animalis, & ratio est, quia nihil quod posterius sit, ingreditur diffinitionem superioris, quoniam uero multa secundum modos intrinsecos differunt, quæ tamen eadem sunt in ratione ostendente quid est res, ideo nec ratio ostendens quid est res, sui modi intrinseci diffinitionẽ ingreditur. Albedo enim intensior, & remissior, modo tantum intrinseco differt, ratione autem non differt. quare si ratio perficeret diffinitionem modi intrinseci, sequeretur quod, quæcunq; per intrinsecos modos distinguerentur, etiam diffinitione distinguerẽtur. sed unde nam dicitur modus intrinsecus? an quia refertur ad idem genus ad quod ratio diffiniens? cuius est modus, & ad id comparatur? nihil tamen propterea immutat ex eo cui additur: quamuis aliquid addat. his habitis: quattuor sunt distinctionum genera non effecta ab intelligentia nostra. primũ genus est, quãdo ratio, quod quid est rei unius ostendens, ut existit: distincta est à ratione alterius ut exi-

stit. hanc quia ad essentiam pertinet, essentialem uocarunt: simpliciter enim, & absolute homo nõ est aquila, uel leo: quoniam eorum diuersæ sunt rationes, eorum naturas explicantes. Aliud genus est, quo res una separatur ab alia, ita ut dicere possis, hæc res non est illa: uocetur hoc distinctio rei. Tertiũ genus est, quod cadit inter rationem diffinientem, hanc distinctionem formæ nominant: à primaq; separatur, quoniam hæc cadit inter rationem tantum, illa inter rationem, & existẽtiam. Vltimus distinctionum gradus est, cum diffinitio ab intrinseco suo modo distinguitur. Ordo autem distinctionum patet: maxima enim distinctio est, quæ diffinitionem, & existentiam rei ostendit: quippe quia in se omnes alias continet. Hanc sequitur rei distinctio: Inde ea, quæ est formæ: qua minor est ultima, quæ ad intrinsecos attinet modos. siquis uero non continentiam, & ambitũ, sed dignitatem inspiciat. Distinctio formæ, quoniam fit per ea, quæ rem antecedũt; merito primas occupauit. nõ autem iccirco eam esse aliis maiorem putandum est, quia sit magis princeps. atq; hæc quidem sufficiunt de ordine. Reliquum est, ut differamus, qua ratione inuestigari, ac uenari possimus distinctiones huiusmodi. ad cuius rei intelligentiam, præmittenda sunt pauca. & primũ quod inter aliqua tam rei, quàm for-

mæ distinctio cadit. leo enim, & homo quatenus actu existunt, tum per rationes proprias distinguũtur, diuersa enim est utriusq; ratio: tum etiam per existẽtias, & res diuersas. Quædam uero tantum formæ discrimine separantur, ut leo, & capra in potentia, leo est, quia sibi leonis diffinitio cõpetit, item & capra. quamobrem leo, & capra forma tantum distinguuntur, eo quia ex rationibus rem constituentibus probari euidenter potest, quod eorum diffinitiones distinguũtur. Cum igitur leo, qui nondum est, leonis habeat diffinitionem similiter & capra, quoniam esse, & posse formæ rationẽ non immutant: consequens est quod leo, & capra, in potentia secũdum formam distinguantur. Non autẽ rei distinctio cadit inter hæc, quoniam potentia nihil habet soliditatis: cæterum nõnulla sunt, quæ distinguuntur, rei & non formæ distinctione. nam quantum attinet ad formam eadem sunt, quemadmodũ quæ sub una specie continentur indiuidua, cum nemo ambigat quin re ipsa diuersa sint. nonnulla uero habentur, quæ ne re ipsa, nec forma seiugantur, quibus eadem ratio cõuenit, sed diuersus est eorum intrinsecus modus. Verbi gratia caloris uehementis, & remissi eadem est diffinitio, sed uehemens à remisso distat modo quodam intrinseco: cõmunis autem modorũ partitio, in quos diuiditur ens hac

regula innotescit. Diuidatur ens in finitum, & infinitum: modus hic rei additus, nõ immutat nec diuersam facit eius rationem: cum tamen aliquid addat. eadem enim diffinitio igni conueniret, siue finitus esset, siue infinitus. secundo ens partitur in necessarium, & cõtingens: orbis solis necessarius est, orbis rotæ contingens uterq; tamen est eiusdem rationis. necessariũ ergo & attingẽs sunt modi intrinseci: tertio diuiditur ens in actũ, & potentiam: cumq; eadem sit diffinitio, leonis qui nondum est, sed esse potest, certum est cum nõ immutetur diffinitio rei per actum, & potentiam, quod actus, & potentia sunt modi intrinseci. quarto diuiditur ens in ens rationis, id est à ratione comprehensum, ut est hominis diffinitio mente percepta, & in ens quod solidum dicimus, alii reale uocant, & hi quoq; intrinseci modi sunt: quoniam eadem manet hominis ratio, siue intelligentia concipiatur: siue extra intelligentiam re ipsa consistat: hi sunt cõmuniones modi, ad quos alii tanquam ad fontes referũtur, æternitas ad infinitudinem, quemadmodum intensio, & remissio: existentia ad rationem actus, & alia eodem modo. Quadruplex autem est ratio cognoscẽdæ distinctionis, quæ ad formã pertinet, diffinitio, descriptio, diuisio, euidẽs probatio. Cum duo ita se habent, ut quicquid est in diffinitione unius,

nõ sit in diffinitione alterius illa distinctione formæ seiugantur. Quoniam uero descriptio sequitur diffinitionem. constat enim ex genere, & aliqua proprietate, ideo cum diuersæ diuersorum sint diffinitiones, aliæ quoq; aliorum descriptiones erunt: unde formæ distinctio ex ipsa rei descriptione cognoscetur. Quoniã uero diuisio fit per partes oppositas, quod per alterã partem cõstituitur, forma separatur ab eo, quod per alteram fit: sed per euidẽtem probationem formæ distinctio inuestigatur hoc modo. quando unum cõcluditur de uno, quod non concluditur de alio, tunc inter hæc formæ diuersitas est: quoniã medium per quod probatur, & cõcluditur res de re, in euidenti probatione est diffinitio: si igitur idẽ medium esset, eadem quoq; affectio de re utraq; demonstrari posset: quare cum diuersa de utroq; probetur affectio: necesse habet diuersas esse utriusq; diffinitiones. quo posito formæ distinctio apparet. quam deniq; dignoscemus hoc etiã modo. nam cum dictio, quam duplicantem uocãt in ratione formaq; cadat, sequitur ut quod conuenit alteri quatenus talis, sequitur inquã, ut id formæ distinctionem faciat. Verbi gratia canis inquantum canis aptus est latrare, mugil inquãtum mugil nequaquam, ergo inter utrunq; formæ diuersitas intercidit, nam dictio illa inquantum re-

ſpicit formam. Sed rei diſtinctio inueſtigatur, & dignoſcitur, origine, ortu, interitu, & ſeparatione. atq; ut paucis me expediam, quæ non genita gignunt, quæ fiunt aliis non factis, quæ non intereunt aliis nõ interemptis: quæq; inuicẽ ſeiuncta manere poſſunt re ipſa diſtinguuntur. Diſtinctiones autem intrinſeci modi ſimili ratione ſcrutari ſolemus, qua modos ipſo perſcrutamur. una igitur diſtinctio eſt qua modus à ratione diffiniẽte ſeparatur, ut uehemẽtia caloris à caloris diffinitione. altera eſt qua modus unus ab alio ſeiũgitur, ab alio inquam, qui non ſit ſub eodem, ut infinitudo, & neceſſitas, finitudo, & contingentia, tertia fit ex modorũ oppoſitione, ut finitum, & infinitum: neceſſarium, & contingens. ultima ſunt, quãdo ſunt eiuſdẽ rationis inter ſe, ut proprietas Platonis ſingularis, & proprietas ſingularis Hipparchi. Atq; hæc ſunt, quæ à doctiſſimis uiris de diſtinctione attulimus neceſſaria ualde tum dialecticis, tum philoſophis: diligẽter uero negotiũ ſpeculantibus nihil temere dictũ occurret. Quam uero iis uocibus accommodentur, facile innoteſcet. Ad rem igitur noſtram reuertamur, ex communitatibus quædam ſunt generales, per quas omnes hæ quinq; uoces uel conueniunt, uel diſſident inter ſe: quædam uero partiales, per quas uox hæc, cum illa, atq; illa cum

alia,

alia ; atq; alia, cum alia, uel nectitur, uel disiungitur. Porphyrius primo loco exequitur generales : deinde partiales. sed iustiori de causa primũ conuenientias explicat, mox diuersitates. sed superuacaneum ferè iudico, in iis, quæ iam explicata sunt, laborem insumere, ex iis etiam facilis est proemii declaratio, & præsertim pars ea, quæ de utilitate huius libri pertractãt : & cum omnia uniuersalia, in hac una conditione, & ratione conueniant, quod de pluribus afferuntur, iam patet rem subiectam esse unam, & ab ea unam huius introductionis artem, uel scientiam nominari. Tu uero præsul amplissime hilari, ac benigno animo suscipe hos labores nostros, qui amplissimum nobis fructũ allaturi sunt, si abs te probari, & cõmendari merito uidebuntur.


Vale.


ABCDEFGHIKLMNOPQRST
VXYZ. AA BB CC DD.

Omnes duerniones, præter DD ternionem.

Apud Aldi filios.

Venetiis, M. D. XLII. Mense Martio.




AL
DVS

